

FRANCISCI SAMUELIS KARPE  
CAES. REG. PHILOSOPHIAE IN UNIVERSITATE VIENNENSIS  
PROFESSORIS

COMPENDIARIA  
PHILOSOPHIÆ MORALIS  
INSTITUTIO

TRIBUS TOMULIS  
PHILOSOPHIAM PRACTICAM PRIMAM,  
ETHICAM PHILOSOPHICAM

DE 934  
ET.

JURISPRUDENTIAM NATURALEM  
COMPLEXA.



---

VIENNAE  
SUMTIBUS CHRIST. FRID. WAPPLER ET BECK.

4830 *Int. b* FRANCIS GASKIN  
COLLEGE OF MONTREAL LIBRARIES  
LIBRARY  
INSTITUTIO  
THIS VOLUME  
MATERIAL PRATICUM  
HISTORIC  
4830



F2C 997/1953

NICHOLAS  
WALSH LIBRARY

FRANCISCI SAMUELIS KARPE  
CAES. REG. PHILOSOPHIAE IN UNIVERSITATE VIENNENSIS  
PROFESSORIS

INSTITUTIONES  
PHILOSOPHIAE  
MORALIS.

---

*PARS PRIMA*  
PHILOSOPHIA PRACTICA  
UNIVERSALIS.

---



---

VIENNÆ  
SUMTIBUS CHRIST. FRID. WAPPLER ET BECK.

---

卷之三

# ЗАМОЛЧАНИ ЗІНЧОВОДИНА НАДІЯ

卷之三

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

Digitized by srujanika@gmail.com

卷之三

• 100% Satisfaction Guaranteed •

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES CATALOGUE

•

030031512

INSTITUTIONUM  
PHILOSOPHIÆ MORALIS  
P A R S P R I M A  
PHILOSOPHIA PRACTICA PRIMA  
S E U  
UNIVERSALIS.

БИБЛІОГРАФІЯ

СКІДКА ДЛЯ СТУДЕНТІВ

ДОВІДКА ВІДАВА

МІДІАЛІБРІАЛІСТИЧНА БІБЛІОГРАФІЯ

СІДЖЕМІНІС

PROLEGOMENA  
DE  
PHILOSOPHIA PRACTICA  
UNIVERSA.

1.)

*Philosophiae practicæ seu moralis definitio.*

§. 1.

**S**i qua in hominem cadit recte et beate vivendi ars, dari etiam debet systema principiorum et regularum moralium (voluntatis liberæ) quarum cognitione et exercitio hæc ars, quam Sapientiam proprie et Philosophiam per excellentiam veteres (græci et romani) vocant, contineatur.

§. 2. *Philosophia practica seu moralis* est scientia eorum rationis humanæ dictaminum seu legum, ad quas ea, quæ per voluntatis libertatem et arbitrium esse possunt (voluntatis liberæ consilia seu sententiae, decreta et actus) conformari necesse est, ut homines recte et beate vivant, i. e. virtutem, sapientiam et prudentiam colant, atque animi tranquillitate, et vitæ se-

G  
curitate ac prosperitate fruantur aut certe frui  
mereantur.

§. 3. Cum singuli voluntatis liberæ habi-  
tus, quoad normas, quarum ductu peraguntur, et  
actiones, quarum repetitione existunt, mores di-  
cantur; intelligitur, cur leges, quas ratio vo-  
luntatis liberæ decretis et actibus præscribit, mo-  
rales seu morum leges, earumque scientia etiam  
*Philosophia morum seu moralis*, præterea *Ethica*  
*philosophica late accepta*, *Philosophia vitae, ac-  
tiva, præceptiva, theoreticæ seu speculativæ*  
*opposita* appelleatur.

2.)

*Philosophiae practicæ in partes suas distributio.*

§. 4. Cum moralis voluntatis liberæ per-  
fectio seu virtus et probitas proxime nobilibus  
agendi consiliis seu sententiis, quas maximas  
(Maximen) vocant, contineatur, mutua deinde  
securitas actionibus externis innoxiis et sola inju-  
riarum fuga præstetur, denique vitæ prosperitas  
per prudentiæ regulas procuretur; philosophiam  
practicam universam tamquam voluntatis liberæ  
regendæ, emendandæ et perficiendæ magistram  
ac disciplinam *quintuplici primario munere*  
contineri facile intelligitur.

§. 5. Nimirum primo ea, quæ ad regi-  
men, perfectionem et correctionem voluntatis,  
adeoque ad legislationem rationis universe per-  
tinent, constituere, deinde leges ipsas morum  
cum ethicas, quibus officia virtutis seu interna,  
cum juridicas, quibus officia juris, seu externa,  
definiuntur, a principiis suis repetere, denique  
præcepta civitatis administrandæ, et juventutis  
educandæ tradere debet. Quare philosophia

præ-

practica universa primum per philosophiam practicam primam deinde per philosophiam practicam puram, quæ Ethicam et Ius rationis complectitur, denique per philosophiam practicam mixtam, quæ Politicam et Pædagogicam continet, velut per nativas partes describitur et absolvitur.

## 3.)

*Philosophiæ practicæ usus, bujusque vindiciæ.*

§. 6. Ex ipso philosophiæ practicæ, ejusque partium argumento satis ejus præstantia et usus insignis elucet. Quamquam enim multum laudis et utilitatis afferat cognitum habere, quibus legibus et principiis intellectus humanus in omni rerum sive corporearum sive spiritualium cognitione adstrictus sit, omnem tamen hanc præstantiam et utilitatem longe superat scientia earum legum, quibus voluntatis regimen, et morum ad justitiam, virtutem ac civitatis salutem, et singulorum prosperitatem conformatio continetur; quare mirum omnino videri debet, fuisse omni tempore, et adhuc esse, qui omnem de moralitate, et felicitate, de virtute et jure, atque de civitatum administratione, et juventutis educatione scientificam pertractationem supervacaneam, immo ipsi harum saluberrimarum rerum cognitioni et exercitio perniciosem, adeoque in his rebus communi quemque sensu, civitatum rectores et educationis moderatores vero experientia et historia duce uti debere dicerent, ne a recti et justi, atque prudentiæ et salutis via longissime aberretur.

§. 7. Cum id maxime propterea faciant, quod a nonnullis nativa rationis de eo, quod

rec-

rectum, justum et frugiferum est, dictamina abstrusis et detortis speculationibus corrupti videant; intelligitur, primum hanc ipsam ob causam, deinde quod naturalis ille boni et pravi, justi et injusti sensus per se paulo obtusior, variisque corruptellis et aberrationibus obnoxius fit, denique etiam propterea, quod sint, qui nativa illa recti et justi judicia pro opinionum commentis habeant, necesse omnino esse, ut communes illas boni et mali, justi et injusti notitias a principiis necessariis et universalibus, qualia experientia et historia suppeditare nequit, repetamus, adeoque non tantum primam quamdam de moribus philosophiam, quæ basis fit, verum etiam quadruplicem specialem de virtute et jure, atque de civitatis et educationis administratione et cura scientiam velut ædificium condamus, atque ita in rebus, in quibus sine maximo detimento errari non potest, non præjudiciis sed principiis regamur.

# PHILOSOPHIAE PRACTICAE

## PARS PRIMA

# PHILOSOPHIA PRACTICA PRIMA.

## SEU UNIVERSALIS.

---

*Philosophiae practicæ primæ propositum  
et partes.*

§. 8. Hoc philosophia practica prima seu universalis sibi propositum habet, ut ea, quæ ad morale voluntatis regimen universe pertinent explicet, i. e. cognitionem de natura et causis moralitatis et felicitatis, quæ sunt omnis moralis regiminis cardines, atque summum hominis, quod subjectivum vocant, bonum, a principiis suis derivet; quare Ethicæ, Juris, Politicæ et Pædagogicæ Propædeutica et basis communis est, atque Eleutheronomia et Eudæmonologia velut nativis suis partibus continetur.

---

## PHILOSOPHIAE PRACTICAE PRIMAE

## PARS PRIMA

## ELEUTHERONOMIA

SEU

DE NATURA HOMINIS MORALI.

## PROOEMIUM.

§. 9. In hominis mente, quamprimum ratione et arbitrio uti incipit, notiones eorum, quæ velle et agere oporteat, aut certe liceat, adeoque conceptus officiorum et jurium se produnt. Eiusmodi notiones, quia animo volendi et agendi necessitatem et normam suggerunt, quin tamen idem omittendi facultatem aufferrant, leges morales dicuntur, atque hominis libertatem et innuunt et evincunt,

§. 10. Inest itaque in ratione humana nativa legislatio, i. e. sistema legum, quibus voluntatis consilia, decreta et actiones, adeoque mores hominum conformari oportet. In illa rationi insita legislatione, in illo ejus legum ad mores spectantium seu moralium systemate consistit Eleutheronomia; in ista vero morum cum legibus moralibus conformitate et conformatione voluntatis rectitudo et regimen, adeoque moralitas posita est.

§. 11. Cognitiones seu veritates ad legislationem et regimen voluntatis liberæ spectantes

prac-

practicæ seu morales dicuntur. Quare Eleutheronomia veritatum moralium generalissimarum systema tamquam communem Ethicæ, Juris et Politicæ, ne invicem pugnant, basim constituere, adeoque Ontologia moralis esse, atque duas partes complecti debet, nimirum analyticam, quæ notiones de moralitate elementares evolvat, at syntheticam, quæ communissima de moralitate judicia constituat, atque ita omnia recti principia aperiat.

## ELEUTHERONOMIAE

### P A R S A N A L Y T I C A,

Conceptus de moralitate elementares seu maxime fundamentales explicat.

#### *Ordo tractandorum.*

§. 12. Omnes conceptus, qui sunt nostræ de moralitate cognitionis elementa et quasi stamina, ad tria velut ad capita, nimirum *primo* ad subjectum et objectum, *deinde* ad existentiam et fontem, *denique* ad supremum criterium et principium moralitatis, atque legislationis et regiminis moralis redeunt.

SEC-

# SECTIO PRIMA.

## De Subjecto moralitatis, atque Objecto legislationis et regiminis moralis.

### PROOEMIUM.

*De morali hominis natura generatim.*

§. 13. Subjectum moralitatis nobis notissimum est homo libera voluntate prædictus, qui non solum ratione nomognostica, et nomothetica prædictus est, sed etiam vehementi eorum, quæ sensibus grata, aut molesta sunt consequendorum, aut vitandorum cupiditate nativa trahitur.

§. 14. Inde est, cur saepe animum hominis ad aliud cupido (Sinnlichkeit) trahat, aliud ei ratio præcipiat, aut suadeat. Quia conscientia teste homo vel id, ad quod libido allicit, vel istud, quod ratio imperat, decernere et agere potest, quin unquam ad alterutrum irresistibili modo restrictus sit, voluntatis libertate et arbitrio prædictus est. Hæc voluntas est omnis moralitatis fons et sedes, cum homo propterea pro alterutrius auctore et se ipsum habeat, et ab aliis habeatur, adeoque recti vel pravi opifex, atque imputationis compos sit.

§. 15. Quare objectum legislationis et regiminis moralis proximum et proprium sunt voluntatis libertas et arbitrium, et ejus actiones cum internæ, i. e. consilia, intentiones et decreta animi, tum externæ, seu decretorum exsequitiones in sensus carentes, adeoque mores, et

et character moralis ominis. In his natura hominis moralis generatim posita est.

## I.

### Essentia actionum liberarum exponitur.

#### I.)

##### *De actionibus humanis generatim, earumque principiis.*

§. 16. Hominem corpore et anima constare, atque inter has duas ejus partes arctissimam i.e. certis naturæ legibus adstrictam indolis et conditionis harmoniam intercedere certum est. In utraque hac hominis parte innumeræ continuo eveniunt mutationes, quæ quatenus in alterutrius illarum hominis partium propriis viribus, harumve conjunctione rationem sufficientem habent, actiones, reliquæ vero perpetiones dicuntur. Quare actiones in homine vel corporis sunt v. g. digestio cibi, circulatio sanguinis, vel animæ v. g. decreta intellectus et voluntatis, vel mixtæ v. g. locutio, scriptio, nec omnes voluntatis arbitrio subsunt, verum naturæ necessitate multæ eveniunt.

§. 17. Natura hominis moralis vel latius vel strictius accipitur. Ad priorem actiones animæ, seu humanæ cum suis principiis et consecutiis pertinent, principia earum sunt mens, animus et arbitrium, ut adeoque omnes actiones humanæ in aliquo facultatis cognoscendi persentisendi, appetendi et decernendi actu et effectu positæ sint; posterior vero voluntate humana continetur, quatenus hæc nec sensuum

et

et emolumenterum illecebris, nec rationis dictaminibus categoricis simpliciter (irresistibiliter) trahitur, verum se ipsam ad obsequendum alterutri determinat, adeoque libera est, cum per hanc homo eorum, quæ intendit, et gerit auctor, adeoque recti, vel pravi opifex, et utriusque meritorum i. e. præmiorum et poenarum dignus sit.

## II.)

*De actionibus liberis speciatim earumque formis  
ac principiis.*

§. 18. Actiones a voluntate libera pendentes liberæ dicuntur. In omni actione libera tria distingui debent, *primo* volendi regula et momentum, *deinde* agendi decretum seu determinatio arbitaria ad unum ex pluribus possibilibus menti obversantibus, *denique* exsecutio i. e. arbitrarius usus virium ad efficiendum et consequendum id, quod homo intendit.

§. 19. Quare ad libertatem et omnem actionem liberam, sive ultroneam sive invitam, quæ majoris mali evitandi causa suscipitur, tria velut principia requiriuntur, primo *spontaneitas*, ut a vi ipsius agentis profiscatur, deinde *contingentia seu arbitrium*, ut quæ committuntur vel omittuntur, physice nec necessaria nec impossibilia, adeoque uno tantum modo possibilia sint, denique *intelligentia*, quæ volendi momentum, et agendi regulam suppeditet, et dijudicet.

§. 20. Ex his libertatem humanam gradus habere a spontaneitatis, contingentiae seu arbitrii, et intelligentiae magnitudine pendentes,

at-

atque actiones liberas porro vel commissivas vel omissivas, vel inconsulto vel consulto susceptas esse facile intelligitur. Ex repetitione earumdem actionum liberarum nascuntur proposita firma, et habitus voluntatis certo modo agendi i. e. mores, in quibus adeoque agendi consilia seu regulæ subjectivæ, et ipsi agendi modi ab illis profecti (actionum ab illis profectarum similitudo) spectari debent.

## II.

### Causæ actionum liberarum afferuntur.

#### I.)

##### *De volendi et decernendi ratione et regula ultima.*

§. 21. Ratio intima seu momentum ultimum voluntatem humanam inclinans, eamque ad decernendum et exsequendum flectens est perceptio aut spes alicujus voluptatis, et sensus aut metus alicujus doloris. Voluptas et dolor oritur ex sensu vel prævisione status (præsentis vel futuri), quem animus vel continuare vel tollere, adipisci vel avertere nititur.

§. 22. Quare differentiae momentorum, a quibus velut a fonte suo primum singulæ actiones, deinde varia agendi consilia, et vari se gerendi modi actionum similitudine conspicui seu mores promanant, non sunt nisi diversa voluptatum et molestiarum genera, quæ iis adjuncta cogitantur. Has cogitationes subinde valde obscuras, velut regulas et leges suas, vo-

lun-

luntas humana ita sequitur, ut iis non rapiatur, sed flectatur et regatur.

## II.)

### *De caussarum, et regularum volendi generibus.*

§. 23. Voluptates et dolores spectato fonte sunt vel corporis vel animæ, et hæ vel mentis i. e. aut gustus aut intelligentiæ, vel animi, i. e. aut sympathiæ, aut sensus et characteris moralis. Objecta et causæ necessariæ voluptatum et dolorum dicuntur *placere* et *displacere*, dicuntur esse *bona* aut *mala sensu lato*; quare bona et mala uti voluptates et dolores pro fontis sui ratione differunt.

§. 24. Quæ grata aut ingrata sunt, quæ placent aut disloquent, ea *aut sensibus* vel per suam materiam vel per suam formam placent disloquentve, illa *jucunda*, *molesta*, ista *pulchra*, *deformia* dicuntur; *aut rationi* vel tamquam subsidia impedimentave propositi assequendi, vel propter necessariam cum natura rationali convenientiam vel repugnatiā, quæ neque locis neque temporibus, neque effectis et personis variatur, probantur vel reprobantur, illa *utilia*, *noxia*, ista *honesta*, *turpia* vocantur.

## III.)

### *De actionis internæ et externæ, auctoris et socii discrimine.*

§. 25. Actiones liberæ præterea dividuntur in internas et externas; illæ, ad quas animi consilia et decreta pertinent, nullius nisi agentis ipsius et Dei judicio subsunt, posteriores in sensum judici-

ciumque aliorum cadunt, et plerumque maxime propterea suscipiuntur. Actiones liberæ externæ, vel sunt immediate, vel mediate liberæ, seu liberæ in se, vel in sua causa seu ad libertatem relatæ.

§. 26. Ad quos libere facta aut omissa referuntur, vel per se soli egerunt, vel tantum rationem continuerunt, cur alii egerint; illos autores esse, hos ad actiones aliorum tantum concurrisse et socios fuisse dicimus. In auctore quid, qua de causa, qua vi et contentione egerit et perfecerit, in socio an physico triplici, vel psychologico (moralis) duplici sive positivo, sive negativo modo ad alterius actionem concurrerit, spectandum est.

### III.

## Actionum liberarum moralitas.

### I.)

#### De actionum liberarum bonitate et malitia universæ.

§. 27. Cum, quæ actiones liberas excipiunt, voluptates et bona, dolorum et malorum, dolores vero et incommoda, quæ illas consequuntur voluptatum et bonorum præponderantium ferraces esse posint, intelligitur, non omnes actiones liberas earumque effectus, qui alicujus voluptatis et commodi, aut doloris et detrimenti causæ existunt, pro vere bonis aut malis habendas esse, ut adeoque non omnes etiam noxiæ et utiles actiones ex bonarum et malarum numero excludendæ sint.

§. 28. Approbamus actiones doloris et detrimenti feraces, earumque auctores observantiae et reverentiæ sensu prosequimur propter consilium, ex quo egerunt, et genus actionis quam exercuerunt, simplicem laudem, simplex decus; et ipsi etiam ejusmodi actionum auctores hac se cogitatione erigunt. Improbamus vero alias actiones emolumenterum genitrices, earumque auctores despicimus propter consilii, a quo præfectæ sunt, et generis, cuius sunt partes, simplicem turpitudinem, simplex opprobrium, ipsique ejus generis actionum auctores, se propterea damnant et vilipendunt.

## II.)

### De actionum liberarum objectiva et morali necessitate universæ.

§. 29. An mores quicunque vere boni aut mali, i. e. præponderantium voluptatum aut dolorum fontes sint, et esse debeant in vitæ totalitate, ratio partim *a posteriori*, i. e. experientiæ auxilio conjicit, partim *a priori*, i. e., ex ipsa morum essentia intelligit, quamquam id de singularibus actionibus liberis non semper determinare valeat. Inde nascuntur conceptus et judicia de moribus et actionum liberarum generibus, aut simpliciter, aut in certa subordinatione, a voluntate aut approbandis aut reprobandis, quæ ei illorum colendorum, et istorum fugiendorum necessitatem, vel simplicem vel conditionatam, non tamen physicam suggerunt, adeoque *rationis imperativi* et *leges morales* sunt.

§. 30. Ad quæ voluntas libera tamquam ad suos scopos tendit, ea tamquam rationes volendi et agendi spectata, fines dicuntur. Scopos fines, agens vel ipse sibi præstituit, vel eos natura et ratione ipsa voluntati liberæ propositos esse intelligit. Illi fines sunt fortuiti, arbitrarii, quia eos neglegi, tolli ratio non prohibet; quare voluntati non nisi subjectivam et pragmaticam necessitatem ea agendi suggerunt, per quæ effectum sortiuntur. Posteriores objectivam et moralem necessitatem actionum certi generis imponunt, eosque agens deserere, sed nullo modo tollere valet. Cognitis finibus voluntatis humanæ necessariis inevitabiliter nascuntur judicia et enunciata, objectivam vel simplicem vel conditionatam morum et certorum agendi generum necessitatem injungentia. Hæc judicia et enunciata sunt obligatoria, i. e. moraliter necessitantia, adeoque voluntatis liberæ seu morum leges.

### III.)

#### De actionum liberarum moralitate universa.

§. 31. Ex hactenus declaratis sequitur, dari quædam rationis judicia practica, quæ sint normæ voluntatis efficiendi et dirigendi ea, quæ ejus libertati et arbitrio subsunt, i. e. mores et actiones liberas. Dependentia variorum agendi generum a libertate, quatenus hæc illis normis, i. e. legibus moralibus seu morum subest, *moralitas subjectiva* dicitur. Ipsa vero qualitas morum et variorum agendi generum, quæ his relate ad leges morales tribuitur, quæque in nulla alia re consistere potest, quam in

eorum cum legibus moralibus convenientia, vel repugnantia, seu in objectiva eorum necessitate aut impossibilitate, *moralitas objectiva* appellatur.

Moralitas objectiva vel est *formalis*, vel *materialis* tantum; *prior* locum habet, quando convenientia cum lege pro agendi fine et motivo habetur, in quo voluntatis bonitas et animi honestas posita est, *posterior* vero est mera legalitas, cum legis iussa praeter legis obseruantiam et reverentiam fiunt. Cum actiones liberæ defectu rectitudinis moralis laborant, is defectus vel est *invicibilis*, adeoque mera *illegalitas*, vel *vincibilis*, adeoque *pravitas*, *culpa*, *reatus*, *piaculum*, *transgressio* legis ejus custodiæ opposita, estque vel *mera culpa*, vel *dolus* seu *malitia strictius*, prout vel ab intellectus, vel voluntatis defectu dependet. Dolus vel est *ex proposito*, vel *ex re*, prout transgressio legis vel ante actionem intenta (pro fine habita), vel tantum post actionem approbata est. Culpa et dolus admittunt *gradus* ex quantitate libertatis et ratione violatæ legis *estimandos*.

---

## SECTIO SECUNDA

De existentia et indole legislationis et regiminis moralis nativi.

---

### PROOEMIUM.

*De ordinis moralis essentiali morum discrimine et copulatione descripti existentia.*

§. 32. Unica ad veram felicitatem homini via patet, quam is vincibiliter ignorare aut prave deferere, at nullo modo mutare valet, i. e. unica est fundamentalis et totalis vivendi ratio, quam sequens homo ex integro perfectus, adeoque felix efficitur. Hæc vivendi ratio recta et perfecta, hic moralis ordo variis agendi consiliis et modis seu moribus constat, qui omnes in se et inter se consentientes, adeoque *vere boni*, contrarii vero in se et inter se dissentientes, adeoque *vere mali* sunt, cum illi *totalis hominis perfectionis*, adeoque veræ ejus felicitatis, contrarii vero *imperfectionis* et miseriæ partes et causas constituant.

### I.

Legislationis et regiminis moralis nativi indoles evolvitur.

§. 33. Cum legislatio et regimen morale nativum obligationum et legum moralium nativarum systemate velut voluntatis liberæ norma, adeoque *moralis ordine et felicitatis via* con-

contineatur, quæ morali variorum agendi generum necessitate nituntur, intelligitur, horum trium explicazione *legislationis et regiminis* voluntatis *nativi* indolem exponi.

## I.)

De morali variorum agendi generum necessitate,

§. 34. Quamprimum ratio, illa objectorum characteres et nexus necessarios intelligendi et perspiciendi facultas, pervidet certos libere agendi modos seu mores vel immediatas, vel mediatas perfectionis humanæ totalis, adeoque felicitatis partes et causas esse, cognitio hæc voluntati liberæ, cuius *nativus scopus* est vera adeoque totalis et perdurable hominis perfectio et felicitas, imponit necessitatem eos intendendi (zum Zwecke machen) et excendi, contrarios vero damnandi et vitandi. *Hæc necessitas*, cum a cognitione naturæ et copulationis morum dependeat, nec libertatis arbitrium excludat, *moralis* dicitur.

§. 35. Ponamus velle, hominem ratione et libertate præditum, vita beata potiri, illico agnoscit necessitatem vitæ ex integro consentientis, seu rectæ et honestæ, quæ est mater et conditio omnis veræ felicitatis et prosperitatis, adeoque eorum liberæ agendi modorum seu morum, qui sunt vitæ ex integro consentientis partes. Quare *ordinem moralem*, morum essentiali discrimine et copulatione *descriptum* agnoscere debet, quem deserere, at nullo modo *penitus ignorare* aut *mutare* potest salva propriæ vitæ tranquillitate et communis vitæ securitate ac prosperitate, i. e. *salute*.

## II.)

## II.)

# De obligationibus et legibus moralibus nativis universi.

§. 36. Ex superioribus sequitur, cum omni possibili actionum liberarum genere, cum omnibus moribus esse verum bonum vel malum tamquam motivum sufficiens connexum, cum ii veræ perfectiones aut imperfectiones sint, et ab iis vera hominis dignitas, bonitas et salus, aut abjectio, pravitas, miseria, quarum conditiones, causæ et partes sunt, dependeat. Ejusmodi connexionibus continentur *obligationes morales nativæ*, cum ab hominis moralis indole et morum natura dependeant. *Hæ respectu abligantis*, qui efficit, ut mores sint felicitatis aut miseriæ seraces *activæ*, respectu obligatorum vero, qui moralem ordinem, adeoque viam veræ felicitatis deserere valent, *passivæ* nomen habet; quare obligationes morales non nisi in eos, qui rationis et libertatis usu gaudent, et in mores cadunt.

§. 37. Judicia practica eorumque enunciata, quæ obligationem moralem certorum agendi generum indicant, sunt *leges voluntatis liberae*, adeoque *leges morum seu morales*; quare leges morales sunt propositiones practicæ, moraliter obligatoriæ. In his *formula seu enuntiatio*, i. e. indicatiæ certi actionum liberarum generis, deinde *obligatio et sanctio*, i. e. vis illius actionum generis ad voluntatem flectendam vel cohibendam, denique promulgatio, i. e. effectio, ut certi actionum generis vis obligatoria innoteſcat, quæ vel *interna et nativa*, vel *externa et adventitia* est, prout vel a ratione ipsa,

fa, vel a superiore efficitur, ut vis illa obligatoria innotescat, Inde elucet discriumen legum ad actiones liberas spectantium, quæ, ratione obligationis et cognitionis habita, sunt vel *nativæ* (leges morum), vel *positivæ* (statuta).

§. 38. Quare leges morales seu morum sunt enunciata practica, objectivam necessitatem certorum libere agendi modorum indicantia, quorum nimirum vel est immediata et simplex, vel mediata et hypothetica, vel conjunctio, vel pugna cum dignitate et felicitate entis ratione et libertate prædicti, ut adeoque *leges morum* sint vel *primitivæ et absolutæ*, vel *derivative et hypotheticæ*. Cum vero illa morum quorundam conjunctio vel pugna cum dignitate et salute humana ab infantibus et valde rudibus invicibiliter ignorari possit, intelligitur *leges morum objectivas* non esse eo ipso etiam *subjectivas*. Inde innotescit necessitas legislationis positivæ et divisio legum ad voluntatem humanam pertinentium in *morales* (naturales) et *positivas* (arbitrarias).

## II.

Legislationis et regiminis moralis nativi realitas (veritas) evincitur.

§. 39. Cum legislationis et regiminis moralis nativi *existentia* legum moralium nativarum *veritate* contineatur, jam harum existentia probanda et vindicanda, atque principia et proprietates eruendæ sunt.

## I.)

Existentia legum moralium nativarum ostenditur et vindicatur

S. 40. Existentia obligationum et legum moralium nativarum, adeoque legislationis moralis nativæ rationi insitæ, posita existentia entium intellectu et libertate præditorum, non minus certa et perspicua est, quam certum et perspicuum est, omnes possibiles mores esse vel in se, vel in adjunctione laudabiles, probabiles *ναστού*, et frugiferos, vel turpes et saluti humanæ adversos, hancque perspicuitatem ordinis moralis nativa rationis humanæ vi effici. Cui legislationis et regiminis moralis nativi argumento et iudicii non adversatur;

1. Eosdem mores hic locorum et gentium aut ætatum laudabiles, alibi vero opprobrio esse, ut adeoque omnem moralitatem et legislationem a climatis, educationis et civitatis ratione dependere videri debeat. Nam *primo* dantur mores, qui quocunque sexus, ætatis et conditionis discrimine posito, omni tempore, ubique locorum et gentium in honestorum aut turpium numero habebantur; *deinde* mores, qui idem sunt, in abstracto considerati, in concreto spectati, a se invicem penitus differunt; *denique* negari nequit, dari inter homines et populos etiam errores morales, qui tam parum ordinem moralem et morum naturam, quam physici ordinem physicum et naturam rerum creatarum tollunt.

2. Legislationem, quæ sit humana prior et superior, aliam esse non posse, quam divinam adeo.

adeoque essentiale morum, si quod sit discrimine et rationis iussis per se contineri non posse. Nam quamquam hæc rationi insita legislatio sine omniscio, sancto et omnipotenti ordinis moralis auctore et executore nec absoluta, nec certa et efficax satis videri possit, inde tamen non sequitur, legislationem, quæ sit omni humana prior et superior non nisi sub ratione legislatoriæ Dei voluntatis cogitari posse aut debere; qui enim Deum esse, vel turpiter præscindunt, vel impie negant homines, tamen non ex libidine, sed ex ratione vivere debent, ut mutua securitate et salute fruantur, adeoque ordinem moralem et rationis humanæ legislationem agnoscere coguntur, hac vero agnitione ad primitivam ordinis moralis et cum hoc consentientis ordinis naturæ causam seu auctorem perduci possunt.

## II.)

Earum principia et proprietates eruuntur.

§. 41, *Primum* mores, qui omnes suæ essentiæ necessitate et ordinis naturæ vi vel laudabiles et frugiferi, vel turpes et pestiferi sunt; *deinde* ratio humana, quæ morum quorumque essentias cognoscere et a fortuitis eorum sequelis discernere valet; *porro* voluntas libera, quæ non nisi in id, quid ex integro, aut certe potiori parte bonum est, propendet; *denique* omnium horum auctor sanctissimus Deus, sunt principia ordinis et legislationis moralis, quæ legum moralium originem non in tempore, sed essentiæ suæ vi determinant. Principium enim

pro-

prie est id, cuius vi rei cuiusdam origo perficitur. Origō legum moralium non uti positivarum in tempore absolvitur, adeoque nativa et æterna est; quare, qui principium legum moralium essendi et existendi, cum immediatum tum mediatum, præterea cognoscendi, tum subjectivum tum objectivum distinguunt et constituunt, nec originem et radices legislatio-nis moralis nativæ aperiunt, nec ejus indolem clariorem efficiunt.

§. 42. Voluntas libera partim agendi consiliis, partim actionibus externis spectatur, inde est, cur libertatem in internam et externam distribuant, et in moribus humanis agendi regulas subjectivas et actiones externas ab illis profectas distinguant Philosophi. Omnes mores immutabilis suæ essentiæ et nativæ suæ fœcunditatis vi honesti aut turpes, salutares aut perniciosi, adeoque moraliter necessarii, aut impossibiles et propterea obligatorii sunt. Concep-tus obligatoriæ morum quorumcunque indolis, qui in quovis homine rationis et vitæ usum habente, necessario nascuntur, sunt leges libertatis seu morum, ipsi vero mores sunt officia; quare existit legislatio moralis rationi et voluntari liberae connata, evidens, certa, immutabilis, universalis, absoluta, divina, estque vel interna seu ethica, pertinens ad voluntatis consilia, vel externa seu juridica, mores et actus hominum externos concernens. Scientia legum libertatis humanæ nativarum vocatur Philo-sophia moralis seu practica, estque vel Philo-sophia practica prima, vel Ethica philosophica, vel Jurisprudentia naturalis, prout vel legisla-tio-

tionem moralem generatim, vel ethicam aut juridicam Nomothesin speciatim explicat.

### III.)

#### Legislationis positivæ necessitas et indoles.

§. 43. Cum non omnes homines eam morum quorumvis rationem, propter quam sunt propriæ perfectionis, mutuæ securitatis et publicæ salutis partes, conditiones et genitrices sive propter mentis imbecillitatem intelligere possint, sive propter animi pravitatem exercere velint, intelligitur inde necessitas legislationis positivæ et legum positivarum; quæ ut iustæ sint, non possunt alia actionum genera prescribere quam ea, sine quibus fines quidam objective necessarii obtineri non possint.

§. 44. Quare leges positivæ non sunt mere arbitrariæ, sed saltem spectato fine, ad quem actiones a superiore dirigi debent, necessariæ, adeoque objective naturales esse debent, secus enim iustæ et a ratione alienæ forent. Sanctio legum positivarum, seu earum vis obligatoria posita est in interna et externa legislatoris auctoritate. *Auctoritas interna* consistit in spectata superioris sapientia et probitate, quarum cogitatio fiduciam parit et alit, ab eo non nisi vere bona præcipi et vere mala prohiberi. *Auctoritas* legislatoris *externa* vero posita est in ejus potentia inobedientibus jucunda adimenti et molesta infligendi.

## SECTIO TERTIA.

De supremo legislationis et regiminis  
moralis principio.

---

### PROOEMIUM.

*De legislationis moralis ethicæ et juridicæ  
discrimine.*

§. 45. Maximi momenti legum moralium  
discrimen illud certe est, quod aliæ usum li-  
bertatis in agendi consiliis et voluntatis decre-  
tis positum requirant, in quibus ejus honestas  
et pravitas tranquillæ aut anxiæ vitae effectrix  
consistit, aliæ vero externum libertatis usum in  
actionibus externis sub judicia aliena cadentibus  
positum definiunt, in quibus decorum aut justi-  
tia consistit, sine quibus vitae gratia et securi-  
tas perit. Illas *leges honesti et ethicæ*, istas le-  
ges decori et *juridicas* appellare licet; illarum  
vis *obligandi* (*obligatio interna*) in conscientiæ  
bonæ aut malæ vi, et in reverentia aut me-  
tu Dei, legum moralium auctoris et exsecutoris,  
atque cordium scrutatoris,istarum in pudoris  
vi et opprobrii ac coactionis formidine (*obli-  
gatio externa*) posita est. Inde est, cur *officia  
alia interna, honestatis, virtutis, alia externa,  
decori, juris officia dicantur.*

§. 46. Quare legislationis externæ et juri-  
dicæ objecta non *agendi consilia seu intentiones*  
(*Gesinnungen*), sed tantum *actus et mores ex-  
terni esse possunt. Quies et pax externa, sine  
qua*

qua tellus nostra hominum et societatum humana-  
narum commune domicilium esse non posset,  
mores et actus externos vi extorqueri aut pro-  
hiberi alios postulat, alios vetat; inde officii et  
juris externi notio petitur. *Officium externum*  
omnem actionem externam denotat, quam pax  
et quies communis, bello omnium in omnes  
opposita, vi extorqueri, aut prohiberi jubet,  
aut certe permittit. *Jus externum seu proprie-  
tale* libertatem externam per pacis et securita-  
tis communis officium non restrictam et coerci-  
tam ac coercibilem indicat; quare officii ex-  
terni custodia *sine animi honestate esse*, et juris  
externi usus ab ea plane alienus esse potest  
(sumnum jus summa, non injuria sed, pravitas ).

### *Ordo tractandorum.*

§. 47. Cum supremum legum et officio-  
rum moralium principium *supremam et com-  
munissimam* omnis rectitudinis, legis et officii  
moralis *notam et formam* exhibere, omnium-  
que officiorum et legum moralium *spæram et  
systema* designare et fundare debeat, antequam  
constituatur et explicetur, prævie quæ sint *sum-  
ma* omnium officiorum *genera*, quæ eorum  
*copulatio et unio*, atque quæ sint *leges mo-  
rum primarie* omnium ceterarum *quasi stirpes*  
a suo essendi principio, velut fonte aut radice  
*derivatae* tradi debet.

## I.

Officiorum omnium, communi ultima obligandi ratione copulatorum, summa genera, et leges morum primariæ, ceterarum stirpes afferuntur.

§. 48. Tot sunt hominis officia, quot sunt ejus actionum obligatoriarum genera. Sed in infinito horum numero mentis eas considerantis acies obtunderetur, nisi ad certa capita revocarentur; quare cuncta officiorum genera et species certis capitibus comprehendi expedit, ut faciliter explicentur, eorumque *concentus* et plane *unio* in communi ultimo omnium obligandi fundamento perspiciatur.

## I.)

Officiorum cuncitorum tripartita divisio,

§. 49. Cum officiis jura respondeant, quæ non nisi naturis intelligentibus convenire possunt, officia omnia vel quemque ipsum; vel alios homines, vel denique Deum auctorem et rectorem omnium spectare debere, facile intelligitur.

## I.)

*Officia erga se. Vera nunquam pugnant.*

§. 50. Officia cujuscunque erga se ipsum sunt omnia ejus agéndi consilia et genera, quorum obligandi ratio in eo posita est, quod ea sunt suæ cujusque personalis perfectionis et sa-

lu-

*luti* in vitæ totalitate *partes et causæ*; inde sequitur, omnia ve a hominis erga se officia arctissime copulari velut partes et causas ejusdem totius et effectus, nimirum suæ cujusque perfectionis et felicitatis; neque ullum verum officium erga se, salvis ceteris, plane negligi posse, verum potius neglectu cujuscunque generis officiorum etiam reliqua erga se officia affici. In studio suæ personalis perfectionis et salutis *amor et reverentia sui ipsius* consistit.

2.)

*Officia erga alios. Amor sui amori aliorum nunquam adversatur.*

§. 51. Officia erga alios sunt ea agendi consilia et genera, quorum ratio obligandi proxima posita est in cogitatione et veritate, quemvis hominem esse finem per se, omnes homines naturæ et auctoris communione copulari, atque alios aliorum causa genitos, atque ita factos esse; ut in studio personalis suæ perfectionis et salutis se non impediāt, sed adjuvent. Hoc studium alios velut fines per se considerandi et habendi est *amor et reverentia erga alios*. Amor sui et aliorum in studiis suis nunquam sibi aduersantur; vitam, prosperitatemve nostram temporalem subinde, at nunquam perfectionem et felicitatem nostram personalem, quæ vitæ hujus ejusque prosperitatis terminis non constringitur, aliorum vitæ et prosperitati postponere obligamur.

3.)

3.)

*Officia erga Deum. Vera nunquam cum ceteris configunt.*

§. 52. Officia erga Deum sunt ea agendi consilia et genera, quorum ratio obligandi posita est in cogitatione nostrae cum eo tamquam Auctore et Rectore mundi copulationis. Studium de Deo recte sentiendi et ex his sensibus agendi motiva depromendi *amorem, reverentiam et cultum Dei* constituit, a quo itaque nihil magis alienum est, quam suam et aliorum veram perfectionem et salutem negligere vel perdere, cum omnis mundi constitutio et administratio naturarum moralium perfectionem et salutem spectet.

II.)

*Officiorum hominis fons triplex, sed unica ultima obligandi ratio.*

§. 53. Amor et reverentia erga se, alios et Deum, cuius dignitate et superioritate nulla major et sanctior esse potest, sunt fontes omnium hominis officiorum, horumque omnem sphærām absolvunt. Nulla harum trium *animi probi i.e. voluntatis moraliter bonae affectiōnum* seu virtutum finē altera aut cum alterius contrario consistere potest; quare omnia hominis erga se, alios et Deum officia *indivulso nexu cohærent.*

§. 54. Cum vero non modo iustitiae et benignitatis officia erga alios, verum etiam omnes cultus Dei interni et externi partes propriæ, cuiusvis perfectionis et salutis effectrices

C

et

et adjutrices sint, omnia hominis officia ultimam obligandi rationem in sua cujusque *personalis perfectione et felicitate*, et Dei optimi, maximi, sanctissimi voluntate habere, adeoque spectata ultima obligandi ratione (analytica et synthethica) omnia hominis officia ad officia erga se et erga Denm pertinere sequitur.

## III.)

Legum moralium primiarum, quæ sunt ceterarum stirpes, a suo essendi principio velut a radice derivatio.

§. 55. Quamquam autem Philosophi in assignando legum moralium essendi principio seu fonte valde a se invicem discrepent, cum *alii* fines rerum velut nativos voluntatis divinæ indices, *alii* nativam rationis Nomothesin, quæ sine omni ad morum et actionum liberarum confectaria respectu varia agendi genera præcipiat vel vetet, *alii* denique ipsam morum essentiam et ab hac pendentia illorum confectaria, pro legum moralium fonte et argumento habeant, *omnes* tamen easdem morum leges primarias, velut ceterarum stirpes constituunt.

## 1.)

*Leges morum, quæ primarios officiorum moralium fines assignant.*

§. 56. 1. Homines veræ suæ perfectioni et felicitati studere, adeoque mentis, animi et voluntatis culturæ operam dare, atque ita sentire et agere oportet, ut tranquillitatis animi participes et prosperitatis digni sint.

2. Homines etiam aliorum perfectioni et felicitati studere adeoque curare oportet, ut non modo alios nullo modo laedant et corrumptant, sed potius eorum externum et internum statum emendent et perfectiorem reddant.

## 2.)

*Leges morum, quæ primaria illorum finium media assignant,*

§. 57. 1. Cum extra societates civiles status securitatis seu juris, qui est omnis humanæ culturæ conditio, locum habere nequeat, homines in civitates illius status genitrices et tutatrices congregari oportet.

2. Cum religio sit probitatis effectrix et adjutrix, atque civilis ordinis præsidium efficacissimum, homines religionis causa societates ecclesiasticas colere oportet.

## II.

Supremum recti criterium atque leges et officia moralia cognoscendi principium constituitur.

## I.)

Ejus necessitas et utilitas ostenditur.

§. 58. Nullo non tempore disputatum est inter Philosophos de supremo recti criterio et supremo omnium legum moralium cognoscendi principio. Opus est in Philosophia morali criterio et principio tali ad certitudinem et copulationem veritatum moralium, sine qua legum

et officiorum moralium scientia, i. e. *Philosophia morum*, ejusque in *Ethicam et Jus rationis* distributio locum habere nequit.

§. 59. Criterium et principium ejusmodi *primitivum*, et *primum*, adeoque per se *evidens*, *unicum* et *adæquatum* esse, i. e. notam et rationem ultimam ac per se evidentem dignoscendi moralitatem atque probandi leges et officia moralia exhibere debet, quo constituto nullum verum officium repudiari, nullum falsum approbari possit.

II.)

Ipsum ejusmodi criterium et principium assignantur.

§. 60. Cum supremum ejusmodi recti criterium et principium *supremam et universalen* omnis legis, officii et rectitudinis moralis *formam et characterem exhibere*, omniumque legum, officiorum et veritatum moralium *sphæram designare* debeat, intelligitur, illos non satis rei propositæ memores et tenaces esse, qui *aut voluntatem Dei, aut dictamina rationis, aut fines et ordinem naturæ, aut denique sensum et studium recti* allegant et sequendum pronunciant; nam de eo nec quæritur, nec omnino disputatur, an faciendum sit, quod Deum velle, aut rationem dictare, aut ordini et finibus rerum creatarum consentaneum et rectum esse constat, verum de eo quæritur et certatur, *quo argumento, qua forma* veritates morales, rectum ac leges et officia moralia *dignoscantur et vindicentur*.

§. 61.

§. 61. Rem igitur illi omnino conficiunt, qui statuunt hominem eos agendi modos semper sequi obstrictum esse, qui sunt vere adeoque vel simpliciter, vel in adjunctione boni et probabiles, quos adeoque ut sint universales omnium ratione et libertate præditorum agendi modi rationabiliter velle et approbare possit; nam rectum seu moraliter bonum nihil esse potest, nisi quod sit ex integro bonum et consensiens, et leges ac officia morum nihil aliud esse possunt, quam judicia, ejusmodi agendi modos seu mores imperantia. Ejusmodi agendi consilia et genera alens, et sequens homo et secum ipso et cum aliis, quibuscum naturali quodam vinculo continetur, nimirum cum aliis hominibus, cum natura, hujusque Auctore consentit, atque spem firmam continui in perfectione et felicitate morali progressus fovere potest. Quid vero sit omni respectu bonum, quamquam ignorari possit in singulis actionibus, tamen in agendi generibus seu moribus dubium esse nequit.

### III.)

#### Criterii et principii constituti vindiciae ulteriores.

§. 62. Supremum, quod assignavimus moralitatis criterium et Philosophiae practicæ principium præterea ejusmodi agendi et vivendi normam continet, cui voluntatem humanam simpliciter obsequi oportet, quin ulteriore rationem requirere aut supponere possit, ejus ope porro, cum omnium, quæ veræ sint, legum moralium communem et perspicuam materiam et formam exhibeat, omnia vera officia facile

a spuriis discerni possunt ; *denique objective*, i. e. tamquam agendi genus *spectatum* omnis moralitatis summum criterium, *subjective vero*, i. e. tamquam agendi consilium, tamquam subjectiva agendi norma *consideratum*, omnis probitatis seu virtutis radix et causa est; ejus veritatem Ethica, Jurisprudentia et Politica si agnoscunt et adhibent, nunquam sibi adversantur, verum altera alterius auctoritati opitulan-  
tur. Huic principio subest libertas, quæ cum vel *interna* in agendi consiliis seu voluntatis sententiis posita, vel *externa* sit in actionibus ( commissionibus et omissionibus ) externis, sub sensum judiciumque aliorum cadentibus conspicua, facile ex eo propria Ethicæ, quæ ad internam, et Jurisscientiæ, quæ ad exter-  
nam libertatem voluntatis pertinent, principia derivari possunt, ne fines harum scientiarum incerti sint, alterave alterius auctoritatem usurpent.

## ELEUTHERONOMIAE

### PARS SYNTHETICA,

q u æ

Judicia de moralitate communissima et maxime fundamentalia persequitur.

*Transitio ad sequentia, horum ambitus et ordo.*

§. 63. Subjecto et objecto, deinde fonte ( principio essendi ) atque proprietatibus, denique criterio et principio cognoscendi recti seu mo-

moralitatis, quæ vel est honestas animi, vel justitia actionum externarum, supremo explicatis, atque conceptibus et principiis elementaribus, quæ ad illa tria velut capita moralitatis redeunt, evolutis, horum generales applicationes instituendæ, atque universalia de moralitate judicia, tamquam ulteriorum propiora principia proferenda sunt, quæ *primo* in officiorum collisione et dubietate, *deinde* in morum æstimatione et actionum liberarum imputatione, *denique* in violentiæ et pœnarum usu judicia actionesque nostras regnant.

## S E C T I O P R I M A.

De collisione et dubietate officiorum,  
atque conscientia morali.

### I.

Notiones evolvuntur.

#### I.)

Collisionum et dubiorum moralium conceptus.

§. 64. Quamquam legum moralium nulla vera pugna et ignorantia insuperabilis esse possit, cum eæ ex eodem communi et per se evidenti summo principio promanent; in eas tamen sæpe devenimus circumstantias, in quibus plura officia simul custodiri nequeant, aut certe alterum alteri obstat, quidve legis vis et causa in certo casu postulet, dubium videri possit.

§. 65.

§. 65. Ejusmodi circumstantiae statusque  
mentis collisionum et dubiorum moralium no-  
mine veniunt, atque exceptionem et resolu-  
tionem postulant; quae ut recte fiant, præceptis  
opus est, quorum ductu in quovis collisionis et  
dubii moralis genere et casu, judicia et actiones  
nostras regamus.

## II.)

**Collisionum et dubiorum moralium in mente  
humana origo et inevitabilitas.**

§. 66. Nullum, quod vere sit, officium fi-  
ne objective necessario tamquam fundamento  
destitui, cum quo obtineat pariter et cesset,  
nullum fine suo aut latius aut angustius esse,  
nullum unquam aliquid fini suo adversum po-  
stulare potest.

§. 67. Quodsi itaque officiorum formulæ,  
conditiones, restrictiones et subordinationes  
non satis determinatae et perspectæ sint, eorum  
in mente jam collisionem, jam dubietatem sæ-  
pe nasci debere, facile intelligitur.

§. 68. Quare cum rationes et formulæ of-  
ficiorum adeo accurate definiri et figi nequeant,  
ut earum sphæra et vis obligandi satis perspec-  
ta habeatur, officia in mente sæpe pugnantia,  
aut dubia apparere necesse est; quare ex Philo-  
sophia morali *Casuistica*, quam dicunt, nunquam  
penitus eliminari poterit.

## II.

## Regulæ constituuntur.

## I.)

## Cautio et regula generalis.

§. 69. Posita officiorum collisione aut dubietate imprimis serio perpendendum est, an non omne illud dissidium vel dubium mere opinatum sit. Fieri enim potest, ut Ethica et conscientia aut erronea, aut laxa officiorum pugnam, aut incertitudinem tantum obtendat.

§. 70. Quod si instituto sufficienti examine plura officia sibi adversa, aut singula dubia esse pergent, id in excipiendo et decernendo secundum est, quo plurimum boni procuretur et minimum mali admittatur omni respectu, quodque universalis norma in collisionibus et dubiis moralibus esse possit.

## II.)

## Principia et regulæ speciales.

§. 71. Quod cum ipsum sæpe dubium esse possit, principiis et regulis specialibus opus est, quas in collisionum et dubiorum moralium casibus sequamur.

## 1.)

*Pro collisionum casibus.*

§. 72. In collisione officiorum *lex fortior vincit debilorem*; quare:

1. Orta collisione inter officia subordinata officium superius tamquam fundamentale

le præferre oportet inferiori tamquam minus fundamentali, ne alias cessante vel adversante fine medium persequendum et adhibendum putemus.

2. Orta inter officia coordinata collisione officium strictius, fortius, luculentius, latiori, debiliori et obscuriori, adeoque essentiale et absolutum officium accidentalē et hypothetico proponendum est.

2.)

### *Pro dubiorum casibus.*

§. 73. Posita recti dubietate *quod dubitas ne feceris*; quare:

1. Cum ambigitur, an actio sit licita, status præsens continuandus est; nam sola opinio actionem non esse illicitam, non sufficit, ut culpa liber sis. Contraria sententia Probabilismi nomine nota, Laxismi pestiferi fons est.

2. Cum incertum est, an actio sit licita vel illicita, id semper sequendum est, quod in agente et spectatore studium recti minime impedit, cum actiones auctores ad repetitionem, et spectatorēs ad imitationem sollicitare possint.

## III.

Conscientia, ut sit vitæ dux, culturam postulat.

I.)

Conscientia pro animi instinctu accepta.

§. 74. Conscientiae moralis nomen complures significatus habet, inter quos ille est princeps,

ceps, cum animi instinctum denotat, quo iis consilia et actiones suas cum legibus morum comparare, earum convenientiam vel pugnam cum legibus morum tamquam rationis dictaminibus et voluntatis divinæ indiciis cogitare, atque ex illius vel harmoniæ vel discordiæ imagine menti insidente, vel suavissimam oblectationem et tranquillitatem, vel acerbissimum dolorem et angorem persentiscere cogitur. Conscientia judice nemo etiam occultissime malus et nocens absolvitur, et hæc prima et gravissima fori illius divini interni ultio est.

§. 75. Conscientia sublata, uti recte dicit Cicero, jacent omnia. Nam cum virtus sæpe ærumnis et incommodis varia ratione obnoxia sit, vitium vero et scelus non raro prosperitate fruatur, non satis valida esset, legum moralium vis ad animum humanum recti studio et pravi horrore imbuendum, nisi in ipsius fundo locatus esset judex, qui omnia animi consilia et decreta ad forum suum pertrahat, sine partium studio examinet, atque sine conniventia vel damnet vel absolvat, hac vero sententia probus et innocens reverentia sui ipsius et acquiescentia in semet ipso exhilaretur, improbus autem et nocens dispicientia et contemtu sui excruciatetur.

§. 76. Hujus interni judicii reverentia aut metu, atque istius innocentiae suavitatis et culpæ acerbitatis vi efficitur, ut boni in virtute progrediantur, mali vero peccare dediscant. In formidabili conscientiæ foro et judicio idem homo accusatoris, rei et judicis personam agit; ad cuius rei in facto positæ possibilitatem intellegendam, opus non est multiplicitate characterris,

ris, aut plane personalitatis in homine; quare nullus homo, qui rationis usum habet, conscientia destitutus videri potest, ut adeoque homines sine conscientia tantum illi sint, qui ejus dictamina non curant.

## II.)

## Conscientia pro habitu et actu accepta.

§. 77. Reliquæ conscientiæ vocis acceptiones peculiares nimirum illæ duæ sunt, cum nomine illo *hominis vel habitum* animi sui moralém conditionem (statum) dijudicandi, an consilia, quæ in agendo sequitur, sint honesta vel turpia, vel *judicia actualia* denotat, in quibus is singulas suas actiones cum officiis suis confert. Quia hæc sui iudicatio et actionum suarum cum officiis tamquam mandatis divinis collatio animum angoribus et morsibus implet, intelligitur, cur multi conscientiæ suæ vigorem conservare negligant. Habitus hominis vitia et peccata sua ignorantiae et fragilitatis obtentu extenuandi et excusandi dicitur *conscientia laxa*, opposita *teneræ conscientiæ*.

§. 78. Quia conscientiæ nomen etiam *singularia* de eorum, quæ intendimus, vel patravimus vera vel opinata rectitudine morali *judicia* denotat, intelligitur cur conscientia hoc sensu accepta, in antecedentem et consequentem, in legislatoriam et judiciariam, in rectam et falsam, in certam et incertam, et hæc porro in probabilem, improbabilem et dubiam dividatur. Homines conscientia objective erronea ductos, multa nefaria et valde perniciofa parasse historia testatur, qua in re persecutio-

num et bellorum religionis causa gestorum meminisse licet; quare plurimum interest errores religiosos et morales vitare.

§. 79. Quotiescumque ex pluribus ad agendum propositis, alterum eorum certo non pravum, alterum vero non certo rectum est, obligamur prius relichto posteriore sequi. Nam quamquam officium videri nequeat non nisi certo recta ubique agere, sed etiam quedam probabiliter recta sequi fas sit, tamen facile intellegitur, illud probabiliter rectum videri non posse, quod non sit a pravitate certo alienum. Ex quo Probabilismi, qui Laxismi fons est, pravitas et turpitudo plane evidens efficitur.

## SECTIO SECUNDA.

De morum et actionum aestimatione et imputatione morali.

### ARTICULUS PRIMUS.

De aestimatione et imputatione morum et actionum universe.

#### I.

Aestimationis et imputationis notio.

§. 80. *Aestimatio* et *imputatio* morum et actionum posita est in horum consideratione et investigatione eo spectante, ut appareat, an a libero hominis arbitrio dependeant, et quale quantumque bonum eis insit, est adeoque vel *moralis* vel *pragmatica* et prior vel *ethica* vel ju-

*juridica.* In mores factaque, an a libertate dependeant, atque e honestorum, utilium aut turpium, noxiorum genere sint, inquirere nihil aliud significat, quam eorum veritatem, causam liberam et indolem obligatoriam indagare.

§. 81. Imputationem ipsam in *physicam*, qua causa libera, et *moralē* dividunt, qua facti bonitas aut pravitas, adeoque meritum aut piaculum, horumque qualitas et magnitudo assignatur, declaratur et mensuratur. Quamquam enim idem saepe sunt effectus physici actionum, quæ physice et quæ moraliter imputantur, tamen horum imputandi generum effectus morales et juridici plurimum differunt. Præterea æstimationem et imputationem aliam mere *dijudicatoriam*, aliam *judicariam* esse dicunt, cum qui æstimant et imputant vel solo judicio, an mores et actiones moraliter rectæ vel pravæ, aut pragmaticice utiles vel noxiæ sint, se continent, nec ultra progrediuntur, vel propter meritum vel reatum agentis juridica actionis conjectaria seu merita, i. e. præmia vel pœnas ei assignant.

## II.

Mores et actiones bonitatis et malitiæ, tam moralis quam pragmaticæ, tum qualitate, tum quantitate differunt.

§. 82. In moribus et factis hominum judicandis et imputandis exquirendum, eruendum spectandumque est, quid ad eorum sub- et objectivam moralitatem definiendam et dimetendam pertineat.

1. Nimirum cum ætate maxime educationis et cultus adjumento libertatem hominis, quæ est in rationis supra naturam, i. e. animi concupiscentiam præponderantia posita, paulatim robur capere posse certum est. Inde est, cur jam vulgo pro ætatis et culturæ ratione eadem animi affectiones, et actiones liberæ, jam magis, jam minus æstimentur et imputentur.

2. Deinde mores et actiones etiam *et per se*, i. e. propter suam propriam honestatem, dignitatem, convenientiam, aut turpitudinem, foeditatem seu repugnantiam, i. e. propter suam bonitatem et malitiam moralem, et propter suos effectus communiter et privatim salutares aut noxios, i. e. propter suam pragmaticam bonitatem et malitiam magis, vel probari vel improbari res pariter extra omne dubium posita est.

### III.

Quantum intersit in æstimationis et imputationis negotio certis principiis infistere?

§. 83. Homines jam sine disciplina ad di-judicandam, et dimetiendam morum bonitatem et malitiam, atque actionum rectitudinem et pravitatem duci experientia docet. Utraque tam *qualitate* quam *quantitate* differt, cum vel moralis, vel pragmatica, vel mixta sit, atque vel mero debito aut plane merito, vel meræ culpæ aut plane dolo adscribitur. In utraque æstimanda et imputanda: *primo* principia (confilia et affectiones animi) a quibus actiones pro-

sificuntur, *déinde* vires quibus peraguntur, quorum major vel minor est præstantia, *denique* effectus quos fundunt, quiue vel statum internum, vel externum adficiunt, spectari et æstimari, atque jam *unius*, jam *alterius*, ex illis potiorem rationem haberi *necessé et naturale* est, quæ omnia vero jam propter suam *obscuritatem*, jam propter suam *ambiguitatem* difficiles explicatus habent.

§. 84. Ex rei hujus frequentia, gravitate et difficultate facile colligitur, quantum intersit in ejus doctrina et usu certis insistere principiis, ne sui aliorumque judex et moderator in exquirendo et ordinando statu morali, et in morum ac factorum pretio definiendo aberret: quippe error in morum et factorum dijudicatione complures alios gignit, cum erranti tum societati nocentissimos. Generact pravas agendi regulas, parit falsam vel fiduciam, vel diffidentiam erga illos, quos recte vel prave egisse falso putamus, adducit ut in legibus exsequendis aberremus, atque favoris aut severitatis erga alios siue causas pervertamus, sive terminos modumque excedamus.

## *ARTICULUS ALTER.*

### *De æstimatione et imputatione morum et actuum partite.*

#### *Ordo tractandorum.*

§. 85. Ex generalibus, quæ hactenus exposita sunt, intelligitur, trium rerum investigationi speciatim et partite operam dare debere cum,

eum, qui recte imputaturus sit: *primo* num ea sit affectionum et actionum natura, ut inter libertatis humanæ effectus numerari possint, *deinde* num de earum auctoribus et causis moralibus in specie constet, *denique* an quæ ab iis gesta aut omissa sunt, recte vel secus se habeant, atque vel merito vel reatui adscribenda sint?

## I.

## Disquisitio, an affectiones et actiones dantæ libertatem respiciant?

§. 86. Primum ejus, qui recte imputet munus hoc certe est, ut videat, an et in quo gradu liberum sit, quod imputandum videtur. Quia in re id universè tenendum est, ad ea, quæ sub æstimationem et imputationem cadant, non nisi *primo* habitus consulto agendi seu mores et affectiones morales animi, *deinde* actiones et omissiones liberas seu facta libera, *denique* status a liberæ voluntatis usu pendentes pertinere.

§. 87. Quare, quæ non voluntatis libertate et arbitrio, sed naturæ aut fortunæ necessitate in homine eveniunt et nascuntur, mutaciones, confuetudines et status corporis ac animi, imputationi obnoxiae non sunt, cum nec merito nec reatui adscribi possint. In hac re vero dijudicanda non tantum præsens, sed etiam prius status hominis explorandus est, cum quæ *libera in se* non sunt, tamen *libera in sua causa* esse possint. Quamquam enim confuetudines naturam ipsam sæpe vincant ejusque vim affirmant, altera natura propterea dictæ, actiones

nes tamen ab iis profectæ malæ et imputabiles sunt, si illarum consuetudinum initia actiones liberæ fuerunt, quarum repetitiones præter consilium agentis habitum effecerunt. Inde vero consequitur, etiam quæ deliri seu mente capti, quæ affectu correpti, quæ ebrii aut somnambuli patrant, culpæ tribui, atque jus præstationem damni postulandi affere posse.

§. 88. De actionibus liberis, adeoque sub imputationem cadentibus excipiendæ non sunt *actiones difficiles*, quamquam earum *commisso* magis, *omissio* vero minus imputanda sit. Difficultas cernendi et decernendi id, quod officio congruit, est complexus causarum, quibus homo in usu intellectus et libertatis impeditur, ut non possit nisi majori, quam uti solet, virium suarum contentionе perspicere, decernere et præstare, quæ convenient. Causæ hæ sunt vel *practicæ*, quo temperamenti et instinctuum naturæ, vel *adventitiæ*, quo educationis, confortii, propensionum dominantium et affectuum vis pertinet. Ex his facile colligitur, quid de vulgari illa imbecillitatis et fragilitatis humanæ excusatione statuendum sit.

§. 89. Nec actiones involuntariæ (*invitæ*) e numero liberarum eximendæ sunt. Ad ejusmodi actiones pertinent eæ, quæ a metu gravis mali physici, quod agenti intolerabile videtur, nascuntur. Metus et mali gravitas æstimanda est ex hujus magnitudine et duratione, atque ex persuasionis firmitate, malum impendens ferri et alio modo averti non posse. Qui metu gravi adactus aliquid committit vel omittit, id tamen judicio et decreto suo, adeoque libere agit, neque adeo solum pati videri potest.

test. Paupertas, inedia, odium potentiorum, mors *mala acerba*, sed *physica* sunt, ad quæ evitanda itaque nihil nefarii admittere licet, eaque *felicitatem* minuere quidem, sed evertare non possunt; cum hæc non uti *prosperitas* bonis externis absolvatur, nec terminis hujus vitæ circumscripta videri possit, Ex his facile cognoscitur, quid de vulgato illo: necessitatem non habere legem, sentiendum sit.

## II.

### Disquisitio, a cuius libertate affectiones et actiones imputabiles dependeant?

§. 90. Secundum recte imputatur munus positum est in eo, ut accurate inquirat in eum, a cuius libertate dependeat affectionis et actionis per se imputabilis existentia, qui adeoque vel ejus auctor sit, vel ad eam concurrerit.

I.)

#### A u c t o r .

§. 91. Auctor est, qui per se continet rationem existentiæ habitus, aut actus recti vel pravi. Ex quo facile perspicitur, *primo* non posse factum tamquam bonum cuique velut auctori tribui, nisi constet de ejus bene agendi proposito; *deinde* facti mali auctorem eum dici non posse, qui vi externa insuperabili compulsus aliter facere non potuit.

*Regulæ censendi auctores actionum bonarum.*

§. 92. In auctoribus bonarum actionum spectandum est:

1. Quid boni cum præsentis tum futuri cum iis conjunctum sit, quod et *qualitate* et *quantitate* differre potest.

2. Ex quo animi principio et consilio eæ profectæ sint, quorum *alia* aliis *honestiora* et *laudabiliora* esse possunt.

3. Qua vi eæ perfectæ sint; constat enim alias vires aliis *nobiliores* atque per eas jam majores et acerbiores jam leviores molestias superari debere.

2.)

*Regulæ censendi auctores actionum malarum.*

§. 93. In auctoribus malarum actionum spectari debent:

1. Consilia et affectiones animi, ex quibus prave suscepta profluxerunt; constat enim earum *alias* aliis *turpiores* et *nocentiores* esse.

2. Robur propositi prave agendi, quod accurate dimetiendum est; in qua re ratio *partim* consilii, quo quis se ad prave agendum accinxit, *partim* perseverantie, qua in pravo molimine admonitionibus et impedimentis obstatit dispicienda est.

3. Noxia pravæ actionis confectaria, quorum vis 1) vel transiens, vel manens esse, 2) personas ipsas vel tantum earum statum externum afficere, atque 3) ad plures vel pauciores pertinere potest.

II.)

## II.

## Particeps.

§. 94. Qui rationem continet, cur alter prave egerit, is actionis alienæ *particeps* (causa socia, causa moralis in specie) esse, seu ad eam *concurrere*, atque propterea correus, mediate reus et pœna dignus est.

1.)

*Modi concurrendi ad actiones alienas.*

§. 95. Concursus ad actiones alienas duplicis nimirum vel *physici*, vel *psychologici* seu *moralis*, quem vulgo dicunt *generis*, hoc utrumque autem porro vel *positivæ* vel *negativæ indoles* (in committendo vel omittendo positus) est. Sunt nimirum, qui cogendo, juvando, corpus varia ratione disponendo, vel ista omitendo, sunt *præterea* qui ideam aut motivum agendi excitando, vel non debilitando aliquid conferunt ad hoc, ut alii prave agant; quare vulgati illi modi: *Fusso*, *consilium*, *consensus palpo*, *recursus*, *participans*, *mutus*, *non obstantis*, *non manifestans*, non omnes concursus physici et morales formas exhauiunt.

2.)

*Regulæ actiones alienas imputandi.*

§. 96. Non omnium, qui ad aliena facinora concurrunt, parem culpam esse, facile colligitur; in hac æstimatione tria in disquisitionem vocari debent.

1.)

1. Quid concurrens ad facinus alienum contulerit, adeoque *primo* an sine hoc auctor agere nec potuisset, nec voluisse, *deinde* an potuisset quidem, sed non voluisse, vel vice versa, *denique* an et voluisse et potuisset sine eo agere.

2. Qua actione (scandalum datum vel acceptum) quo animo, qua sagacitate, quibus artibus alios ad prave agendum adduxerit, hi quo sunt magis hebetes et creduli, eo certius fiunt astutorum ludibria et mancipia.

3. Qua in relatione sit causa mediata ad immediatam; quare in auctoritate positi aut noti, si alios ad prave sentiendum et agendum pernovent, gravius peccant, quam ignobiles et peregrini.

### III.

Disquisitio an actiones pravæ culpæ vel dolo, rectæ vero vel debito, vel merito adscribendæ sint?

§. 97. Actio quævis *prava*, i. e. officio contraria vel culpæ, vel dolo, *recta* vero. i. e. officio consentanea vel debito vel merito adscribitur, *casus enim*, i. e. eventus, qui evitari non potuerunt, vel non debuerunt, propter defectum, vel libertatis, vel obligationis sub imputationem non cadunt.

## I.)

Modus culpam et dolum dijudicandi et dimetiendi.

§. 98. *Reatus, culpa universe omnem legis transgressionem, omnem actum minus rectum, i. e. a lege et officio aberrantem denotat, atque in dolum et culpam stricte dictam dividitur; nam qui prave agit, vel sciens volensque contra legem officiumque agit, vel praeter scientiam et propositum legem transgreditur et officium violat.*

§. 99. *Culpa stricte dicta complectitur omnia facta minus recta, quæ a vitabili aut ignorantia aut errore, aut ab alio quodam vincibili intellectus defectu uti sunt incuria, inconsiderantia, præcipitantia, imprudentia, e. s. quæ negligentiæ nomine comprehendimus, proficiuntur. Culpa universe æstimari potest consideratione facultatum hominis, vel in abstracto, vel in concreto spectati. In ipso gradu culpæ determinando attendendum est, an intellectus et libertatis actus, qui in actione culposa negliguntur, tales sint, ut facile adhiberi potuerint, et alias ab agente reapse adhibeantur, id quod præcipue ex statu et adjunctis, in quibus agens culpam commisit, dijudicandum est.*

§. 100. *Dolus culpæ oppositus in consilio contra legem agendi positus est. Ejus magnitudo æstimatur ex claritate et vividitate cognitionis eorum, quæ lege jubentur aut vetantur, et ex firmitate decreti legi contraria agendi. In cognitionis illius claritate et vividitate æstimanda, considerandus est status animi, qui fuit ante malum facinus, qui vel magis vel minus per-*

perturbatus, vel sedatus esse potuit, ut adeo que vel impetu rerum insueto, vel sine ullo vehementi impulsu ad prave agendum processerit. *Firmitas mali decreti æstimanda est, ex pertinacia consilium malum exsequendi; nimis quo longius intervallum inter decretum, et executionem aut pœnitentiam intercessit, quo plura momenta decretum et ejus executionem dissuadentia interea, vel ex se ipso haesit, vel aliunde suggesta suscepit, eo corruptior est talis animus, eo plus a tali homine metuendum est.*

## II.)

**Modus reatum seu piaculum et meritum dijudicandi.**

§. 101. Qui id solum præstat ad quod præstandum externe obligatus est, adeoque jure cogi potest, *debitum præstare* dicitur; qui debiti præstationem negligit aut minus præstat, quam debitum exigit, *piaculi compos, reatu teneri, demeritum contraxisse*, qui vero plus præstat, quam lex externa ab eo postulat, *meriti laudem et favorem sibi conciliaisse* dicitur. Actiones debitæ nullos pariunt effectus juridicos, qui nequeunt esse alii, quam præmia et pœnæ positivæ; *haec* solum in actiones demeritorias, in piacula, *illa* vero tantum in actiones meritorias cadunt.

§. 102. Quare 1) boni aut mali effectus actionis debitæ agenti nec in præmium, nec in pœnam imputari possunt; remuneratio enim seu repensio benefica a præmio proprio dicto differt, quod locum non habet nisi lege promisum

sum sit. 2) Mala conjectaria omissionis actionis meritoriae juridice imputari non possunt, nec jus exigendi præstationem damni afferunt. 3) Bona actionis meritoriae, et mala actionis inusta conjectaria imputari possunt, illa in præmium, hæc in pœnam.

## SECTIO TERTIA.

De eo, quod rectum est circa præmia et pœnas universe.

*Admonitio de hujus doctrinæ gravitate et ambitu.*

§. 103. Etiam coactum et dolorum combinationem et inflictionem necessariis rationis finibus, uti sunt illi civitatis et educationis, obtinendis inservire dubium videri nequit; voluntates perversæ aut segnes coactu, metu aut spe cohiberi aut incitari necesse est. Sed ratio recta omnem, qui ad fines rationis consequendos necessarius aut accommodatus non sit, coactum aut dolorem, omnemque quæ animos corrumpat indulgentiam, favorem et liberalitatem reprobatur. Quare regulis opus est, quibus in coactu adhibendo, atque in præmiis pœnisque suadendis et sanciendis regamur. Ex quo gravitas hujus doctrinæ intelligitur, quæ partim harum rerum primis notionibus explicandis, partim generalibus principiis stabiliendis continetur.

# Notiones primæ rem præmiorum et maxime pœnarum attinentes.

I.)

Notio præmii et pœnæ ab initiis suis ducitur.

§. 104. Præmii nomine illa solum bona compellanda sunt, quæ eveniunt aut tribuntur alicui propter actionem susceptam, vel obedientiam legi præstitam, tamquam conditionem seu regulam; cetera bona prosperitatem proprie constituunt. Cum saepe quorundam valde interesse possit, ut alii plus vel aliud præstent, quam ab iis tamquam debitum jure postulari possit, illi promittendis fortuitis bonis efficere debent, ut hi ad tales meritorias actiones stimulentur. Sed cavendum est, ne per præmia animi maxime in juventute mercenarii efficiantur.

§. 105. Cum vero legum transgressores agunt, quæ ab entis rationalis et moralis dignitate aliena sunt, fas est eos propterea, vel statim vel ex intervallo mala perpessionis subire. Mala seu dolores, qui transgressionem hoc modo velut regulam subsequuntur, proprie sunt pœnæ; cetera sunt meræ calamitates. Ad pœnas pertinent etiam illa mala, quæ in amissione illorum bonorum, quibus quis jam potiebatur, et privatione eorum, quibus quis certo potitus fuisset, posita sunt.

§. 106. Non quævis pœna statim dolores parit, i. e. non quævis transgressionem dolores

res statim excipiunt, sed saepe tantum causas dolendi suo tempore evolvendas deponit. Ut vero mala passionis poenae vim habeant, praevideri posse debent, ut sint *motiva* transgressiones legum aversandi et vitandi, utque transgressores se *ipso*s malorum supervenientium fabros agnoscere debeant.

## II.)

### Poenarum genera et positivarum necessitas.

§. 107. Præmiorum et poenarum duo sunt genera summa, quorum cognitio Philosophiæ moralis finibus prodesse potest, alterum naturarium, alterum positivarum; illæ suapte naturæ, i. e. vi essentiæ transgressionum et ordinis naturæ, posteriores arbitrio entis intelligentis cum certis actionibus cohærent. Nihil est animo legis illius mōrum præceptis devoto tranquillus et jucundius, nihil illo qui legis illius reverentiam et curam abjecit turbulentius, et tormentorum plenius; legum moralium transgressio animum hominis semper angoribus, et plerumque etiam statum ejus ærumnis obnoxium reddit. Humana præmia et humanæ poenæ varia ratione interverti et eludi possunt; secus est in naturalibus, quæ sunt divinæ, quæque propter animalium immortalitatem auferi et subterfugi nullo modo possunt.

§. 108. Positivarum non minor poenarum quam legum, ad quarum sanctionem illæ pertinent, est necessitas; deterrentur pravi et moraliter imbecilli homines formidine poenarum a legum positivarum transgressione. Pœnæ positivæ vero non magis, quam leges positivæ sunt

me-

mere arbitriæ; debent nimírum ejusmodi pœnæ esse necessariæ et aptæ ad conciliandam auctoritatem certis legibus, sine quibus fines quidam objective necessarii obtineri nequeunt. Quare leges mere pœnales chimæræ sunt; ipsæ pœnæ vero prave factis congruete, atque ita comparatae esse debent, ut eorum prævisio illecebrarum prave agendi stimulos retundat.

### III.)

Quibus finibus inservire debeant pœnæ positivæ universæ spectatæ.

§. 109. Finis pœnarum communis et supremus est, ut legum transgressionibus, quarum causæ efficientes et occasioneles pénitus tolli nequeunt, obstacula ponantur; cum enim pœnæ sint mala sensualitatis, non nisi in collisione ad coercenda mala libertatis justæ esse, et a ratione approbari possunt, quæ cujusvis doloris non necessarii, inflictionem damnat.

§. 110. Huic vero fini non solum tunc pro-sunt pœnæ, cum per eas ipsa prave agendi principia subjectiva extirpantur, verum etiam tunc, cum id solum per eas efficitur, ut voluntas a tentandis vel iterandis prave factis cohibeatur, spectatores vero ab imitando reprimantur. Hos certe fines pœnarum in educatione juventutis nobis propositos habere debemus.

## II.

Principia recti rem pœnarum universæ concernentia.

## I.)

Fundamentum juris puniendi, atque generalia pœnarum positivarum, quæ justæ sint, requisita eruuntur.

§. 111. Cum dubium videri nequeat, dari inter homines jus leges positivas ferendi, quod vel ex lege, vel ex pacto oritur; negari nequit iis, quibus illud jus hoc modo competit, necessario etiam jus leges suas pœnis fanciendi, hasque transgressoribus irrogandi convenire. Cum legislationibus humanis jus puniendi indulyso nexu cohæret, quid enim earum leges propter aliorum pravitatem, aliorum vero imbecillitatem sine pœnis vanæ proficerent? Legislatio auctoritate interna velut basi niti, et externa velut vallo cingi debet.

§. 112. Pœnæ vero ubi earum necessitas generatim negari nequit, a) legibus præviis sanctæ, atque b) naturales, i. e. transgressionum indoli convenientes et c) finibus pœnarum accommodatæ esse debent, ut animos a prave agendi libidine liberent, aut certe a tentandis, iterandis, imitandis legum transgressionibus cohibeant; deinde etiam d) certæ et inevitabiles esse debent, ut non nisi transgressoribus, his vero sublata latendi aut cavillandi potestate sine conniventia irrogentur.

## II.)

## II.)

Generalis pœnarum mensura constituitur.

§. 113. Pœnæ uti transgressiones qualitate et quantitate differre debent. Quod si quid est, cuius cognitio nos in modo et gradu pœnarum definiendo regere possit, id velut pœnarum *mensura* considerari et adhiberi poterit; quod non potest esse aliud quam culpa et reatus, in quibus gravitas et magnitudo spectanda est. Pœna culpæ æqualis eique quoad impressiōnem, quam in animum facit, conformis esse debet.

§. 114. Quare universe statuendum est, eo graviorem et majorem esse debere pœnam, quo gravior et major est culpa ac reatus. Cum vero culpæ ratio a principiorum subjectivorum (animi vitiorum pravi genitricium) et effectuum transgressionis ratione dependeat, hæc in pœnis fanciendis spectanda sunt, ut peccandi propensiōni et illecebris medeatur, aut certe obſtitat legislator, effectus vero transgressionum impedit aut tollat.

## III.)

Præcipua momenta in principiis et effectibus transgressionum consideranda.

§. 115. Cum transgressiones semper aliquid in periculum constituant, etiam periculi magnitudo pro pœnarum mensura adhiberi potest; sed res redit ad idem, periculi enim magnitudo æstimatur partim ex principiis seu animi affectionibus, quæ sunt transgressionum effectrices, partim ex damnis, quæ sunt earum effectus.

tus. *In Principiis* spectanda est malignitas, firmitas, vigor et sœcunditas; *in effectibus* vero certitudo, extensio, intensio et protensio.

§. 116. Quare malefacta ex proposito, cum deliberatione, præterea ultronee, proprio ut ajunt motu, atque iterato commissa universe gravius punienda sunt, quam opposita. Dein quo minora sunt in certo genere subjectiva sensualitatis, et quo majora objectiva obligationis vel invitamenta, vel impedimenta, eo acerbioribus pœnis opus est, ut dominantes peccandi propensiones cohibeantur.

4-

## PHILOSOPHIAE PRACTICAE PRIMAE

## PARS ALTERA

EUDAEMONOLOGIA  
SEU  
DE FELICITATE HOMINIS MORALI.

## PROOEMIUM.

§. 117. Voluntatem humanam supremum quemdam scopum, et recti studium seu virtutem summum quemdam fructum habere, atque illum scopum et hunc fructum alium esse non posse, quam felicitatem, necessaria sunt rationis judicia, quae dies non delet, sed confirmat. Rationalis doctrina de felicitate *recti*, cuius indolem Eleutheronomia indagavit, *merito et fructu* dicitur *Eudæmonologia* seu *Agathologia*. Inde sequitur Eudæmonologiam esse nativam Philosophiæ practicæ primæ partem, eamque duplici munere defungi debere, *primo eo*, ut felicitatis internæ seu beatitatis, quæ passim non sine magno detimento cum prosperitate confunditur, naturam perscrutetur, *deinde isto*, ut negativas conditiones, sine quibus recte et bene vivi nequit, perquirat.

# CAPUT PRIMUM.

## *De natura felicitatis moralis.*

---

*Ambitus et ordo tractandorum.*

§. 118. Ad cognoscendam veræ felicitatis naturam triplicis generis principia requiruntur, nempe *primo* illa, quæ ad ejus essentiam definendam, *deinde ista*, quæ ad ejus causas seu fontes aperiendos, *denique ea*, quæ ad bonorum et voluptatum vim in efficienda felicitate æstimandam et dijudicandam pertinent.

### SECTIO PRIMA

Felicitatis essentiam perquirit.

#### I.

Indubia illius hominis conditionis requifita, quæ ejus felicitatem absolvunt.

§. 119. Eo omnium hominum vota, desideria et studia, velut ad metam naturæ instinctu et vi tendunt, ut vitam dum decurrit secundam et jucundam, i. e. beatam vivant, ut adeoque constanti et perpetua animi tranquillitate et voluptate potiantur.

I.)

*Quæ sunt felicitatis elementa intima?*

§. 120. *Omnium sensu et judicio ad felicitatem animi tranquillitas et jucunditas, harumque ejus affectionum perpetuitas aut certe præponderantia in vita totalitate requiritur, cum entis moralis finiti, cuiusmodi est homo, certe in hac vita, tranquillitas sine omni ægritudinis, et jucunditas sine omni doloris admixtione esse nequeat.*

1.)

*Animi tranquillitas, primum felicitatis stamen, in quo consistat?*

§. 121. *Animi tranquillitate is universe potitur, in cuius conditione a fundamentis perlungata nihil est, quod magnopere doleat, in cuius statu itaque plus perfectionis et boni, quam imperfectionis et mali inest cum firmitate persuasionis, perpetuo ita fore.*

2.)

*Animi jucunditas, alterum felicitatis stamen, in quo posita sit?*

§. 122. *Animi jucunditate seu voluptate is permulcetur, qui in conditione sua causas præfio esse videt, cur magnopere gaudeat, adeoque certus est, in statu suo continuo causas malorum minui, bonorum vero augeri, atque perpetuo ita fore.*

II.)

## II.)

Quæ res illa felicitatis elementa proxime efficiat?

§. 123. Quamquam vero inter omnes facile conveniat, felicitatis conditionem seu *beatitatem* in constanti et perpetua tranquillitate et voluptate positam, atque *miserice* oppositam esse, cum nimis aliquis constanti ægritudine angitur et perpetuis doloribus excruciat; quæ tamen res proxime hanc vim habeat, ut animum constanter tranquillum, perpetuo jucundum et hilarem, atque ab ægritudine et dolore, certe præponderante immunem reddat, non una est omnium sententia. Qua in re *primo* sententiarum divertia, *deinde* studiorum seu conatum discrepantiæ, *denique* cautiones necessariæ, ne in re gravissima aberretur, recensendæ sunt.

## I.)

*Sententiarum de summo bono divertia præcipua.*

§. 124. Cum id, quod sua natura valeat, ad tranquille et jucunde vivendum, omnium hominis desideriorum et conatum metam et limitem constituat, atque recte etiam *summum* ejus *bonum* dicatur, facile intelligitur ei, qui, in quonam felicitas posita sit, quærat et constituat, proprius, in quonam sit hoc summum bonum positum, quærendum et constituendum esse, qua quæstione et disceptatione nihil celebrius fuit in scholis veterum philosophorum. Septem autem sententiæ præcipuae commemo-  
rantur a Cicerone de finibus bonorum et malorum

*rum, Lib. II. cap. 11.* quarum *tres* in re honestatis experte, nempe aut in voluptate corporis, aut in indolentia, i. e. in vacuitate doloris, aut in usu et expletione principiorum naturalium (Naturtriebe), *tres* in honestate cum aliqua accessione, nempe aut tribus bonorum generibus maximis animi, secundis corporis, externis tertiiis, aut in honestate, quæ voluntatem adjunctam habeat, aut in honestate cum indolentia, *una* denique in solo decoro, i. e. in honestate animi summum bonum poneret.

2.)

### *Studiorum humanorum in comparanda felicitate divertia.*

§. 125. Quamquam autem inter se contendenti, quæ variarum de summo bono sententiarum auctores ad suam opinionem stabiliendam et defendendam afferant, videri possit, de nomine magis, quam de re disputari, si tamen studiorum seu conatum, quos in tranquilla et jucunda vita efficienda ponunt, divertia contemplatur, in re ipsa etiam illos penitus disconvenire, facile animadvertet et concedet. Constat enim alios in felicitatis studio ea potius, quæ corporis et fortunæ sunt, seu externa spectare, alios ita, quæ sunt animi et interna et in potestate posita consectari. Ejus vero rei ratio facile redditur, cur alii in hac vita magis in vacuitate doloris, alii in voluptatum affluentia salutem et beatitatem ponant.

3.)

3.)

*Felicitatis notio et studium cautionem requirunt.*

§. 126. Ex hactenus dictis hoc oppido elucescit, plurimum interesse, ut non vagam et obscuram, sed stabilem et perspicuam felicitatis ideam animo informatam habeant homines, ne in felicitatis studio aberrent; hoc enim solum modo caveri potest, *primo* ne prosperitatem pro beatitate habeant et consequentur, *deinde* ne felicitatem humanam ex brevioribus vitae curriculis aestiment, *denique* ut dijudicent, quae bona in vita totalitate et perpetuitate constantis aut certe praeponderantis tranquillitatis et jucunditatis causae esse possint.

III.)

*Felicitas an ad internum vel externum hominis statum magis pertineat?*

§. 127. Hoc certe homines proxime tranquillos et jucundos, adeoque beatos efficit, quod eorum conditio seu status bonus est, et continuo melior efficitur. At quis eorum status perfectus est, et continuo perfectior fieri debet, an internus, quo intelligentia et voluntas rerumque cognitiones et volendi consilia, vel externus, quo divitiae, auctoritas, imperium e. f. pertinent? Hoc certe et natura rei docet et experientia confirmat, nihil magis hominum studia in transversum agere et collidere, quam quod prosperitatem in bonorum exterorum copia positam, pro felicitate in perdurante animi tranquillitate et jucunditate posita habeant et consequentur, atque a prima aetate eos, qui bonis externis affluunt, felices existimare consuescant.

13

1.)

*Prosperitas per se animi tranquillitatem et hilavitatem non afferit.*

§. 128. Prosperitas, quæ statum hominis externum afficit et efficit, a felicitate, quæ in interna ejus conditione posita est, admodum differt. Illa bonorum complexum notat, quæ acquirere et conservare non est in potestate hominis positum; pertinent ad hæc bona sors nascendi, valetudo, forma, vires corporis et animi præstantes, opes, favor potentium e. s. p. quæ ab independenti naturæ cursu dependent.

§. 129. Aerumnæ, varia vitæ incommoda, prosperitati inimica, animi tranquillitatem non evertunt. Bona animi vitæ afflictæ condimenta sunt suavissima, cum spem afferant, si minus aliam certe æternitatis beatioris. Fortunati si stulti, si scelerati sunt, effectibus stultiæ et scelerum tristissimis, nimirum ignominiae, pœnitentiæ, et morbis obnoxii, adeoque miseri sunt.

2.)

*Neque vero etiam veræ felicitati internæ simpliciter inimica videri potest.*

§. 130. Honestatis, quæ sit legis et officii confians et perpetua observatio, maximam vim esse ad tranquillam vitam, neque ullam aliam rem hanc sibi vim et laudem vendicare posse, nemo potest cum aliqua veritatis specie negare. Neque tamen propterea id affirmari potest, prosperitatis cum virtute nullam esse posse concordiam, aut virtutem se una contentam esse ad be-

bene beateque vivendum, ita ut tranquillitatis internæ a virtute pendentis vim vitæ nec prosperitates augeant, nec ærumnæ minuant. Fortunatissimos etiam virtutis tenacissimos fuisse atque recto prosperitatis usu et virtutis et tranquillitatis fines promovisse, historia certe confirmat.

## SECTIO SECUNDA

### Felicitatis fontes aperit.

#### PROOEMIUM.

§. 131. Fontes felicitatis alii esse nequeunt, quam causæ tranquillæ et jucundæ vitæ. Cum vero hæc *primo* acquiescentiam in semet ipso, *deinde* acquiescentiam in sorte sua, *denique* serenitatem et hilaritatem animi requirat, facile intellegitur, fontes veræ felicitatis ostensuro, horum trium tranquillitatis et jucunditatis animi elementorum causas eruendas et afferendas esse.

#### I.

Acquiescentiam in semet ipso, quæ causæ efficiant?

§. 132. Unica, quam nulla ærumnarum vis tollere possit, tranquillitatis animi causa est *acquiescentia in semet ipso*, quæ vel negativa vel positiva est.

1.)

*Conscientia innocentiae. Nil conscire sibi, nulla  
pallefcere culpa.*

§. 133. Homo dum animi sui conditionem moralem explorat, in eaque nihil deprehendit, quod sit legibus morum tamquam divinis præceptis adversum, ex ejus imagine confestim concipit acquiescentiam in semet ipso. Contraria est ejus ratio, qui in semet ipsum descendens, et consilia ac gesta sua percogitans, horum cum legibus et officiis morum pugnam cognoscit, ex hac pravi animi effigie tedium et abominacionem sui persentit, atque præsentis pœnitentiæ, et eum quem metuit dolorem sibi exprobrat.

2.)

*Animus recti tenax. Mens conscientia recti.*

§. 134. Acquiescentiæ in semet ipso, quæ oritur ex cognita harmonia voluntatis, et vitæ suæ cum legibus morum, tamquam legibus divinis, tanta vis est in animo, ut asperrium adversæ sortis sensum minuat, spemque impertiat melioris sortis, si minus in hac, certe in futura vita consecuturæ. Tanta est conscientiæ in utramque partem vis, ut nihil timeant et etiam æquo animo calamitates ferant, qui nihil commiserint; pœnam vero continuo ante oculos versari putent, et mala quæque gravius sentiant, qui sunt sceleribus dediti.

## II.

Acquiescentiam in forte sua, quæ cau-  
fæ pariant?

§. 135. Ex acquiescentia in semet ipso, qua fruitur probus, necessario nascitur acquiescentia in forte sua et magnitudo animi. Virtuti deditus novit cetera nihil aut parum, aut non diu prodelle, si virtus absit, si adsit, reliqua omnia vitæ incommoda aut non nocere, aut certe non multum et diu; quare nulla ægritudine, nullo metu, nullo desiderio perturbatur aut correptus tenetur; bona ex-terna eorumque possessores non contemnit, nec admiratur, i. e. non credit, illarum possessio-nem magnum habere momentum ad felicitatem vel miseriam; quare conditionem suam nun-quam execratur, quia ei non defunt rationes et media, cur rem angustam domi, humilem nascendi sortem, adversam fortunam, injurias æquo et forti animo ferat. In hoc posita est *acquiescentia in forte sua*. Causæ, quæ eam pariunt et alunt sunt:

1.)

## Religio.

§. 136. Religio posita est in fide firma et effi-caci, dari morale mundi regimen, dari providen-tiam, esse animos humanos immortales, vitam ter-restrem esse instar educationis et scholæ ad vitam supernam, felicitatem partibus essentialibus et ac-cidentalibus contineri, prioresque nunquam a vera virtute abesse; quare pauperi, humili for-te

te et loco nato ac posito; infortunato, si generoso incoctum pectus honesto, si mentem vera religione imbutam habet, nunquam defunt rationes, quæ ejus animum in egestate et adversitate consolentur, atque ad spem fortis melioris erigant.

2.)

### *Moderatus amor habendi et potiundi.*

§. 137. Ut homines forte sua contenti vivant, in hoc maxime elaborent, ut nihil magnopere admirentur, i. e. majoris momenti ad felicitatem putent, quam reapse est, ut adeoque nihil immodice cupiant, nullam jacturam vehementer timeant, quæ omnia afferunt animi tranquillitatem. Quibuscunque rebus carere possumus sine detimento vitæ, valetudinis secundæ, et sine dispendio vigoris corporis et animi ad labores necessarii, eæ non ad veram sed opinatam vel certe tantum ad hypotheticam indigentiam hominum pertinent. Sed a teneris instituendi et assuefaciendi sunt homines, ut non ex bonorum externorum copia præstantiam et felicitatem, et ex eorum inopia et diminutione vilitatem et miseriam hominum æstiment.

3.)

### *Ars fruendi.*

§. 138. Ars fruendi posita est in eo, ut voluptates vitentur, quæ vivacitatem facultatis fruendi minuunt, atque pœnitendi et dolendi causas continent, quo certe illa gaudia non pertinent, quæ sponte sua veniunt naturæ contemptu.

templatoribus. Quæ res corpus aut animum vehementi voluptate percellunt, illud debilitant et hunc relaxant; experientia docet, facilius corpus humanum graves et difficiles labores, quam magnas et frequentes voluptates perferre. Laboriosi si temperanter vivant, certe facilius, quam voluptati dediti, ad senectutem perveniunt, ad quam illi satis vegetum, isti effictum corpus afferunt. Qui velint re aliqua et voluptate frui plenissime, ea re et voluptate raro fruantur, atque plus in prospectu quam a tergo voluptatis habeant.

### III.

Mentem serenam et animum semper hilarem, quæ causæ efficiant?

§. 139. Habilitatis et inductionis animi ad facile gaudendum, quam *animi serenitatem et hilaritatem* dicere licet, maxima vis est in felicitate. Oritur hic placidissimus status, *primo* cum cavitur, ne mens malis magis quam bonis, quæ eveniunt, intenta ægritudinem et tristitiam manentem contrahat, *deinde* cum efficitur, ut fortunam hominis mens bona moderetur, adeoque is sapere, consulere et sperare infannis, metuere secundis rebus discat et consuefcat, quo fit, ut nec prosperam nec adversam fortunam impotenter ferat. Mens sana in corpore sano sunt conditiones, sine quibus animi serenitas et hilaritas locum habere nequit.

1.)

*Mentis sanæ vis ad animi hilaritatem.*

§. 140. Tribuitur ei mens sana in oppositione corporis sani, cuius cognoscendi, persentiscendi et appetendi facultates ita emendatæ et exultæ sunt, ut is in intelligendo, judicando, volendo et efficiendo salubri et recto non impediatur, aut in transversum agatur.

§. 141. Quia in re maxime opus est efficere, ne mens sensibus et phantasiam serviat, animus vero persentiscendi et appetendi facultates complectens affectibus et passionibus obnoxius fit, quæ res maximam vim habent ad judicia de verò et bono pervertenda et corrumpenda, adeoque ad sanitatem mentis et cum ea conjunctam hilaritatem animi afferendam.

2.)

*Corporis sani vis ad animi hilaritatem.*

§. 142. Sensuum phantasiam, memoriæ, intelligentiam, persentiscendi et appetendi facultatum, tum etiam eorum, quæ decrevit voluntas, si non robur, certe imbecillitatem multum a statu corporis vel temporario, vel durabili pendere, cuivis roboris vel imbecillitatis sensui vero jucunditatem et molestiam inesse, præterea sanitatis sensum suavem esse, firmamque valetudinem innumera commoda comitari, infirmam valetudinem vero ægritudinem animi adjunctam habere, experientia docet.

§. 143. Inde sequitur valetudinis magnam vim esse in felicitate; deinde Diæteticam, quam vocant disciplinam, etiam Ethicæ et Eudæmo-

nologiæ finibus inservire, denique eos viam felicitatis deserere, qui corpus tamquam rem villem et tamquam animæ carcerem considerant, illud quæsitis cruciatibus macerant, negligunt, quiete, alimentis, refocillationibus privant, non eo consilio, ut valetudinem restituant, carnem spiritui subjiciant, et animum seriis intentum reddant, sed eo exitu, ut vires et vigorem corporis et animi frangant et imminuant.

## SECTIO TERTIA

Bonorum et oblectationum vim in felicitate æstimat.

---

### *Doctrinæ Momentum.*

§. 144. Cum felicitas sine voluptatibus et voluptates sine bonis esse nequeant, bonorum vero et voluptatum ignorantia aut prava æstimatione in felicitatis studio maxime oblitus, principiis opus est, quibus in conditione et æstimatione bonorum et voluptatum regamur.

### I.

Principia æstimandi bona et voluptates universæ.

§. 145. Bonorum et voluptatum premium positum est in vi, quam ad veram felicitatem sive fundandam, sive promovendam habent. Hæc vis partim a causis, partim a generibus bonorum et voluptatum pendet.

I.)

## De causis generibusque bonorum.

§. 146. Bonorum nomine venit, quidquid statum alicujus entis perfectum et gratum certe perfectiorem et gratiorem reddere potest; maiorum contraria est ratio. Praestantiae et bona in homine, si eorum fontes et sedes spectemus, sunt *vel corporis* uti vita, sanitas, integritas, forma corporis e. s. p. *vel animae*, quo pertinent variæ perfectiones et præstantiae mentis, et variæ boni mores seu virtutes applicatae, quæ e bonitate voluntatis morali, seu virtute subjectiva efflorescunt; *vel denique status externi*, quo honor, divitiae et potentia maxime referuntur.

§. 147. Bona pretio et gradu differunt. In eorum aestimatione videndum, primo an sint vera, per naturam bona, perpetua, nulli casui et abusui obnoxia, vel apparentia, per opinionem hominum bona, et calibus, abusibusque exposita. Deinde an sint tantum secundum quid, vel simpliciter bona, quod semper et ubique juvent et etiam aliorum bonorum privationem et jacturam minus molestam efficiant. Denique an sint passiva vel activa, privativa vel positiva, magis vel minus in potestate nostra posita, atque an talia, quæ tantum possessoribus, vel ejusmodi, quæ etiam aliis profint.

## De causis et generibus voluptatum.

§. 148. Voluptas est conscientia status praefentis aut futuri (boni) ad cuius continuacionem

nem vel adaptationem animus tendit, et in cuius impetrati cessationem non nititur; quare voluptas inest vel in motu et statu praesente, quem sentimus et continuare studemus, vel futuri, quem adipisci nitimur. Contraria est doloris et ægritudinis ratio, cum motum et statum, quem sentimus tollere, et eum, quem metuimus, evitare studemus, nisi eum majoris voluptatis genitorem aut satellitem fore speremus.

§. 149. Voluptates et oblectationes spectato fonte sunt vel corporis vel animæ et haec porro sunt vel mentis, ad quas voluptates gustus seu æstheticæ et voluptates intelligentiae seu logicæ pertinent, vel animi et voluntatis, ad quas voluptates sympathiaæ et sensus moralis spectant. Ex quo intelligitur error eorum, qui voluptatem in anima non nisi corporis ministerio et titillatione nasci contendunt. Haec facile ad dolores et ægritudines applicari possunt.

§. 150. Voluptates gradu et pretio differunt. In dimensione et estimatione voluptatum spectanda *primum* earum fæcunditas et diuturnitas, fæcundis et diuturnis voluptatibus steriles et breves opponuntur; *deinde* vivacitas, puritas et facilitas, voluptates vehementes breves, placidæ diuturniores sunt; dantur voluptates, quæ in prævisione, perceptione et recordatione molestiam adjunctam habent, quæ usu insipidæ fiunt, quæ fruendi facultatem obtundunt, aliæ nullo ejusmodi incommodo redimuntur; *denique* nobilitas, dignitas, salubritas, voluptates nobiles tantum ad humanitatem, salubres etiam ad animalitatem in homine pertinent.

## II.

Principia æstimandi bona et mala spe-  
ciatim.

## I.)

## Bona corporis et status externi.

§. 151. Vitam longam et mortem, deinde divitias et paupertatem, gloriam et ejus defectum passim pro majori bono, vel malo haberi videoas, quam reapse sunt, qui error plurimorum malorum fons est. Vitæ pretium nec in prosperitate, nec in diuturnitate, sed in ejus cum lege morum conformitate positum est, Quare mirum est, cur pauci artem vivendi curent, multi de artis hujus difficultate, alii de vitæ brevitate conquerantur, et occupatos homines vita sua parum frui posse putent. Fortunatissimam senectutem multa circumveniunt incommoda, maxime si in animum vitia inducit; maximum senectutis solatium est vitæ vegetioris honeste, utiliter et jucunde transactæ memoria. Mors non est ultima linea rerum, verum natura per mortem portam ad novum vitæ stadium aperit, sed effringi prohibet. Facilius est mortem contemnere et plane ultiro festinare, quam miseram vitam fortiter ferre et mortem imminentem tranquilla mente prospicere, et ingruentem intrepido animo subire; vera solum religio, vitæ dux, efficere potest, ut mortem non formidemus. Quare veræ religionis, non superstitionis præfidiis contra mortis terrores munendus est animus, quamvis eorum vim mortis adjuncta subinde minuant.

§. 152. Omnia bonorum, quae innumeris casibus et peccandi occasionibus ac illecebris obnoxia sunt, nullum facile plus justo aestimari videas, quam divitias, potentiam et gloriam, quo errore nihil perniciosius est generi humano; quare necesse est, ut huic funeo, pervagato, practico praetudicio mature occurratur, et juventus illis bonis eorumque possessoribus tumultus et personas detrahere discat. Bona illa possessores suos, si alia mentis et animi bona desint, magis infelices quam forte sua contentos reddere facile intelligitur, fucata enim illorum gaudia acerbissimis doloribus mixta sunt; vera felicitas in prosperitate, quae in paucos cadit, consistere nequit, errore et ignorantia, non vero naturae judicio et rei cognitione fit, cum illi feliores existimentur, qui superflua habent, quam isti, quibus necessaria sufficiunt. Nulla passio est, quae animum molestius et potentius excruciet, atque ut novimus facilius et foedius corrumpat, quam nimia gloriae cupiditas seu ambitio. Amor et existimatio illorum, inter quos vivimus et agimus, pervagatae apud exterorū famae praferenda est.

## II.)

Bona mentis, animi et characteris moralis.

§. 153. Etiam in ingenii praestantiis plane admirabilibus duplex pretium nimirum *verum* et *speciosum* distinguendum est. Sine recto intellectu, quo veras de bonorum et oblectationum pretiis notiones et regulas teneamus, et sine recto judicio et recta ratione, quibus in singularibus casibus ducamur, corporis et fortunae

bonis aut plane non fruimur, aut omnino abutimur. Fingendi facultas uberrima et plane singularis ac originalis, dexteritas res compارandi et contendendi plane incomparabilis, ratio causas subtilissime indagans et exitus sagacissime prospiciens, eruditio et artificium multiplex et plane eximum, multum speciosi et parum solidi pretii saepissime habent, si nimirum lucri et gloriæ adeptio iis proposita sit, si bonis moribus non opitulentur, sed obsint. Sympathia animi nostri cum efficiat, ut alienæ prosperitatis sensus et cogitatio jucunde nos afficiat, latissimum gaudendi campum aperit, et uberrimam lætandi materiam præbet. Sympathiæ vi fit, ut non tantum propriis et privatis bonis fruamur, sed ut etiam alienorum bonorum contemplatione lætemur, et bona aliorum quasi communia habeamus. Fluit quidem ex eodem fonte etiam dolor commiserationis, qui vero tenerioris generis est, ejus significatio dolorem patientis lenit, atque ad opitulandum miseris impellit.

§. 154. Voluntas libera, quatenus morum et actionum liberarum sedes et effectrix est, moralem hominis characterem constituit. Moralis voluntatis liberæ, adeoque humani characteris bonitas consistit in deliberata ejus conformitate cum lege morum, constituitque virtutem subjective spectatam, quæ non nisi bonis moribus et rectis actionibus velut fructibus cernitur, quas propterea virtutes objectivas et applicatas dicimus. Ex quo evidens efficitur, virtutem maximum hominis decus, et veræ, quæ in omnes homines cadat felicitatis effectricem esse, cum ea in potestate omnium sit, nullasque

dolendi et timendi, sed tantum gaudendi et bene sperandi causas contineat; nam excludit voluntatis pravitatem et turpes mores, adeoque fastidii et contemptus, pœnitentiae et formidinis causas; continet vero, aut certe progignit bonos mores bonarum actionum genitores, et tranquillitatis ac verorum gaudiorum fontes perennes. Quæcunque alia bona corporis, mentis ac fortunæ cum virtute confociata, per eamque nobilitata et usurpata esse debent, ut voluptates pariant, quæ nulos dolores propignant.

### *Conclusio generalis.*

§. 155. Ex cognita felicitatis intrinsecæ natura sequitur, in causa felicitatis majorem vim esse mentis et animi et præcipue characteris moraliter boni, quam prosperitatis, atque ad felicitatem uti ad virtutem illius effectricem ingenio præstanti et insigni rerum scientia opus non esse, adeoque felicitatem esse rem omnibus patentem, cum per legem morum rationi inscriptam rectæ vitæ, per rectam vitam vero tranquillæ vitæ semita cuivis pateat.

## *CAPUT ALTERUM.*

### *De conditionibus felicitatis negativis.*

---

#### *Sequentium nexus cum Præcedentibus.*

§. 156. In virtutis et felicitatis studio parum proficies, nisi potestatem in animum tibi comparaveris, et prudentiam vitæ prosperæ

reginam adjunxeris, quæ quidem præsidia per se non sufficiunt ad vitam rectam et tranquillam, sed tantum conditiones sunt, sine quibus voluntatis rectitudo et animi tranquillitas esse nequit.

## S E C T I O P R I M A.

### De potestate in animum comparanda.

#### *Gravitas et ambitus materiæ.*

§. 157. Proximæ, cur homines a recti et felicitatis via aberrent, causæ sunt ex parte facultatis persentiscendi et appetendi, cum nimirum animi motus et propensiones ita prædominantur, ut rationis imperium recusent, nec ejus præceptis et consiliis contineri possint; quare potestas in animum comparanda est cum proprium, tum aliorum, ut is rationi pareat, nec sensibus et phantasiam, serviat.

## A R T I C U L U S P R I M U S.

### De potestate in animum proprium comparanda.

#### *Hujus potestatis notio et usus.*

§. 158. Hæc hominis in animum proprium potestas proprie in morali ejus voluntatis libertate posita est, qua sit, ut ea evitentur aut supprimantur, debilitenturve, quibus voluntas in cognitione et effectione veri boni impediatur; quare potestas in animum duo requirit, *primo* ut sensus et phantasiam, *deinde* ut animi motus et

pro-

propensiones moderemur, ne sensus et phantasia boni et mali iudicium usurpent, motus vero et propensiones animi in affectus et passiones succrescant, atque imperiosas, vehementes et duras hominis dominas agant.

## I.

## De moderandis sensibus et phantasia.

1.)

*Insidiosas illecebras sensus arripit, phantasia alit.*

§. 159. Ita a natura facti sumus, ut ad ea trahamur, quæ sensus suaviter movent, ab iis vero abhorreamus, quæ sensus moleste afficiunt. At multæ res suaviter sensus movent, quæ consumta voluptate multo majorem dolorem gignunt, multa contra moleste nos afficiunt, quæ molestiam paulo post cumulate pensant; quare qui sensuum iudicio stant, sœpiissime vehementer decipiuntur, cum *noxia* bonorum specie amplectantur, et *bona* malorum specie dimittant. A sensibus phantasia suavitatum et molestiarum perceptarum imagines accipit et servat, immo vividiores et efficaciores reddit, et per varias occasiones earum memoriam instaurat; qua ratione fit, ut animus commoveatur vel plane perturbetur, et ad appetendum aut aversandum trahatur, quamvis illa suavia aut molesta objecta sensibus præsto non sint.

2.)

2.)

*Qua ratione sensuum illecebræ vincantur, earumque imagines debilitentur?*

§. 160. Quare efficiendum est, ut sensus et phantasiam in potestatem redigamus, ne eorum illecebris harumque imaginibus obnoxios nos reddamus. Quia in re ratio et experientia in consilium adhibendæ sunt, quæ docent, molestias quasdam propter salutares ipsarum effectus devorandas et voluptates multas propter noxios illarum effectus forti animo despiciendas, et ad eas velut ad sirenum cantus aures obturandas esse; quod facere in nostra potestate esse, dubium videri nequit. Nam uti sensus mali gravioris, quo premimur, obtundit sensum debilioris, ita metus doloris vehementioris, uti est dolor dedecoris, morbi, pœnitentiæ, post aliquod intervallum secuturi potest vincere sensum doloris præsentis et illecebras boni proxime instantis. Quod ut reapse fiat, efficiendum est, ut mens assuescat dirigere aciem suam ad prospiciendos effectus remotiores æque clare et vivide, ac cernit proximos, illosque sibi tamquam essent præsentes ac proinde inevitabiles proponere.

## II.

*De moderandis animi propensionibus et commotionibus.*

*Doctrinæ hujus gravitas et ambitus.*

§. 161. Animi propensiones et commotiones ad bona malave prave concipienda, vel ad

ad falsa de iis judicia ferenda, atque ad animi tranquillitatem auferendam magnam vim habere facile intelligitur; et propensionibus, motibusque animi maxime dominantibus seu passionibus et affectibus hoc effici constat, ut *primo* quæ ipsis adversantur, pro malis, quæ vero opitulantur pro bonis reputemus; *deinde* ut attentionem avertamus ab iis, quæ boni aut mali opinati, aut veri argumenta subministrare possent; *denique* ut exquiramus et facile reperiamus, aut certe animadvertisimus et approbemus, quæ animi inclinationibus et studiis consentanea sunt, contraria vero mentem animumque vel non subeant, vel certe non teneant, aut plane concident. Propensiones tamen et commotiones animi in re vere bona aut mala, ostensa bonitate aut pravitate, ad eam celerius alacriusque perficiendam aut efficacius detestandam recte adhiberi dubium videri nequit.

## 1.)

*De modo præveniendi passionibus et affectibus animi.*

§. 162. Cum nihil sit servitute passionum et perturbatione affectuum fœdius ac nocentius, cumque illa servitus et perturbatio animi ægre sanetur et tollatur, eo cura dirigenda est, ne oriatur.

§. 163. Et quidem ne propensio quæcumque animi hujus domina evadat, ne v. g. immoderata gloriæ, pecuniæ etc. cupiditas nascatur, caveri potest, 1) constanti et vivida cogitatione, dominantibus inclinationibus rationem et libertatem prosterni, innumera mala procreari,

ri, animi tranquillitatem pessum dari. 2) Exercitatione, ea sibi, quæ propensionem alunt, licet eo, quo afferuntur tempore illicita et noxia non sint, denegandi et ab iis diutius etiam, cum uti licet, abstinendi. 3) Variatione oblectationum, ne uno earum genere fixe cogitando et concupiscendo cetera negligantur.

§. 164. Ut vero animi affectus evitentur, necesse est, 1) mentem ad familiaritatem ejusmodi principiorum perducere, quibus efficitur, ut nulla re repente occurrente animus perturbetur atque consilii inops et impos reddatur, 2) omnes occasiones studiose fugere, quibus afferi sensibus et phantasiæ irritamenta malorum atque affectus concitari possint, 3) sibi persuasum habere, imbecillum et plane ægrum esse animum affectibus et passionibus obnoxium.

2.)

### *De modo commotiones animi concitandi.*

§. 165. Sed non solum domandarum, verum etiam concitandarum animi commotionum ratio tenenda est, ut eæ rationi, quæ instar acus magneticæ viam monstrat, at nondum sat is efficax est ad voluntatem flectendam, instar ventorum adjungantur. Id efficietur, si, quod nobis ratio rectum pravumve esse ostendit, etiam ad sensum referamus, h. e. quæ commoda aut damna ex ea re exisiant, ad sensum pertinentia cogitemus. Sed efficiendum est, ut non verba tantum, quibus effectus illi enunciantur, sed res ipsæ admodum vivide et ad movendum apte proponantur, qua cogitatione phantasia commovebitur, effingetque aliquam insignem rei

rei speciem, qua non poterit non ipse animus commoveri ad agendum. Sed in ea cogitatione celeritas quædam adhibenda est, ut phantasia rerum copia obruatur, et brevitas temporis, quo mens percurrit momenta ad agendum horum efficientiam augeat.

3.)

### *De modo pravas consuetudines dejiciendi.*

§. 166. Quod siqua male agendi consuetudo in aliquo genere contracta fit, indefessa opera elaborandum est, ut ea deponantur. Consuetudinum vero dejiciendarum hic modus est, ut *primo* ejus, qua laboramus, pravitatem et ad perniciem vim certis ratiociniis agnoscamus: *deinde* sedulo caveamus occasiones actionum suscipiendarum, quæ ad eam consuetudinem pertineant: *tertio* quia non possunt ejusmodi occasiones vitari, siquidem praeter opinionem incident, et periculi et propositi cogitatio serio renovanda est: *denique* quæramus *imprimis*, ubi intermissione consuetudo aliqua ex parte debilitata est, occasionem edendarum actionum, quæ sunt consuetudini ejusque genitricibus contrariae. Ita prava consuetudo paulatim debilitabitur et tandem debellabitur, immo contraria virtutique consentiens parabitur.

## *ARTICULUS ALTER.*

### *De postestate in animum aliorum comparanda.*

§. 167. Etiam in aliorum animos aliquam potestatem nos habere necesse est, ut nimirum tam-

tamquam causæ morales corum judicia, decreta et actiones modereimur, sive hoc consilio, ut alii fines suos obtineant, sive isto, ut fines nostros promoveant, aut certe non impedian; quare videamus *primo*, quibus virtutibus præditos esse oporteat illos, qui majori aliqua in aliorum animos potestate potiantur; cumque illius potestatis vis proxime per repræsentationes exerceatur, ars *deinde* animos ope reprætionum moderandi afferrenda erit.

## I.

*Virtutes eorum, qui aliorum voluntatem regant et moderentur.*

§. 168. *Triplex requiritur in rectore voluntatis et moderatore animorum virtus primaria:*

1.)

*Uerior notitia naturæ humanae.*

§. 169. Hoc quodvis voluntatis regimen sibi propositum habet, ut voluntas aliorum secundum præcepta rationalia ad consequendos certos fines dirigatur et impellatur. Sine cognitione mentis, animi et voluntatis humanæ universe, et sine cognitione ingenii et animi eorum speciatim, quorum actiones ad certos fines, dirigendæ sunt, atque notitia rationis, qua ingenia et animos scrutari oportet, fieri nequit, ut ubique præcepta, instituta et media maxime accommodata eligamus, excogitemus et adhibeamus. Notitiis illis maxime ex *Psychologia hau-*

hauriendis, defituti oleum et operam perdunt,  
et viam finibus suis contrariam ineunt.

2.)

*Amabilitas et admirabilitas Rectorum voluntatis.*

§. 170. Qui aliorum voluntatem regat, ejusmodi ingenii, animi et voluntatis virtutibus excellat oportet, quæ subditis amorem, reverentiam et fiduciam erga Superiorem suum injiciant. Hæ animi affectiones in subditis certius et potentius eorum voluntatem flectunt ad obsequendum jussis et votis Rectoris, quam spei, metus, præjudiciorum et fraudum adminicula. Illæ vero virtutes Rectoris maxime in sapientia et iustitia rectoria positæ, ejus auctoritatem et potentiam internam constituunt, cuius certior et tuior in animos et voluntates efficacia est, quam auctoritatis et potentiae externæ, quæ est in potentia et jure præmiandi et puniendi posita.

3.)

*Sapientia nomothetica.*

§. 171. Sapientia legislatoria in hoc posita est:

1. Ut qui moribus regendis et emendandis operam dant, finium suo regimine obtinendorum systema noscant, ad eos obtinendos instituta apta condant, media idonea excogitent, oportunas occasiones captare sciant, atque impedimenta externa et interna removeant.

2. Ut ingenium et animum suorum subditorum vel alumnorum noscant, adeoque ejus scrutandi rationem ex usu teneant, temporis et

et circumstantiarum ingenium exploratum habeant, hisque instituta et præcepta suā in finium suorum favorem attemparent.

## II.

### Ars ope repræsentationum animos moderandi.

§. 172. Hæc est universalis animi et voluntatis lex, ut nihil ad illius motus et inclinationes excitandas, et ad istius decreta et conatus eliciendos vim proximam habere possit præter repræsentamina. At quæ repræsentationes sunt maxime idoneæ ad hos fines obtinendos?

1.)

*Ostenditur repræsentationes rationis præstare ceteris in movendo animo et regenda voluntate.*

§. 173. Repræsentationum sensualium, quales sensus et phantasia suppeditant, insignis est potentia ad commovendum et inclinandum animum cum propter objecti, quod exhibent, insignes visus, tum propter idearum se subito adficiantium congregatas in animum irruptiones.

§. 174. At non nisi eæ repræsentationes, quas intellectus et ratio subministrant, cum firma persuasione conjunctæ esse possunt, esse ea, quæ exhibent, e verorum bonorum aut malorum numero, cum ratio quæcunque objecta in nexu cum suis rationibus et consectariis, per quæ res bonæ vel malæ sunt, exhibeat.

§. 175. Quamquam vero repræsentationes rationis sæpe nullum durabilem effectum in volun-

luntate certorum hominum edant, non tamen inde consequens videri potest, eas nullam nativam vim habere ad impellendam et dirigendam voluntatem humanam, siquidem illa frustratio inde esse potest, quod aut impedimenta clandestina nondum sublata, aut illa media vel non recte, vel non satis diu adhibita sint.

2.

*Ostenditur, qualis esse debeat repræsentationum rationis conformatio, quibus voluntas pareat?*

§. 176. Rationis repræsentationes et præceptiones, quæ voluntatem sequacem habeant, i. e. ejus elateres et momenta sint:

1. Ita conformatae esse debent, ut vim persuadendi et impellendi pro iis habeant, in quorum mente et animo certæ persuasiones et decreta excitari debent; non enim omnia ingenia, non omnes animi eadem argumenta et momenta ferunt.

2. Ita vividæ et familiares redi debent, ut in mente redeant, quoties agendi occasiones præsto sunt, atque, cum animus sui compos est, facile insidiosis vocibus et blandimentis reficiant, horumque vim frangant.

## SECTIO ALTERA.

De comparanda prudentia vita prospere adjutrice.

§. 177. Potestati in animum adjungenda est altera totius vita moderatrix, prudentia.

I.

## I.

## De Prudentiæ essentia.

1.)

*Prudentiæ scopus.*

§. 178. Ingenii humani perfectio et solertia duplex est, *altera* in intelligentia et actione eorum ineſt, quæ facere oporteat, *altera* in cognitione et procuratione istorum consiftit, quæ fieri expediat. Illa fines voluntatis necessarios, hæc tantum fortuitos persequitur; illi animi honestas, huic vitæ terrestris prosperitas proposita est; illa sapientiam, hæc prudentiam constituit.

2.)

*Prudentiæ Definitio.*

§. 179. Prudentiæ laudem ei tribuimus; qui personas, tempora et alias circumstantias in rem suam ita moderari novit, ut hæc ejus consiliorum, votorum, moliminum successum juvent aut certe non impediant: quare *prudentia* consiftit in solertia et dexteritate hominis consiliorum, votorum et conatum suorum, quibus vitæ hujus prosperitas proposita est, opportunitates in rem suam convertendi aut procurandi.

3.)

*Prudentiæ a virtute discrimen.*

§. 180. Inde facile intelligitur, quod discrimen inter virtutem et prudentiam intersit.

Vir-

Virtutis cultor ubique ex morum lege prima-  
ria sua agendi motiva depromit, prudentiae  
compos adjunctorum vim ad salutem et utilita-  
tem, vel propriam vel communem convertere  
aut adornare intelligit.

## II.

### De essentialibus prudentiae requisitis.

§. 181. Ad prudentiam vitæ prosperæ pro-  
curatricem triplicis generis ingenii dotes et per-  
fectiones requiruntur, quorum *aliae* conditiones  
sine quibus non, *aliæ* causæ effectrices, *aliæ*  
deinde ipsas functiones seu munera prudentia  
constituunt.

#### I.)

##### Primariæ prudentiae conditiones.

§. 182. Qui ubique votorum et moliminum  
fuorum prosperum successum et exitum speret,  
hoc *imprimis* munere defungi debet, ut statum  
rerum præsentem, qui fœtus est præteriti et  
gravidus futuri, plene cognoscat, *deinde* ut ejus  
causas exquirat et effectus prospiciat, ut quæ  
consilia capienda, quæ artes adhibendæ sint,  
videat; quæ certe nemo efficere poterit, qui  
non *primo* insigni circumstantias observandi,  
*deinde* earum causas explorandi, *denique* qui  
non etiam præstanti imaginandi et res dijudi-  
candi faciliitate polleat.

#### II.)

## II.)

## Causæ prudentiæ effectrices.

§. 183. Sine cognitione sui ipsius, sine experientia ejusque vicaria, denique sine sapientia, prudentia vel nulla aut certa falsa est.

## 1.)

*Cognitio sui ipsius.*

§. 184. Destitutus cognitione sui ipsius ignorat suas virtutes et sua vicia horumque causas. Inde est, cur neque illas tueri et promovere, hæc vero tollere aut certe minuere, neque commodorum suorum opportunitates prompte apprehendere et obsacula scite evitare valeat, atque jam plus jam minus justo confidat in viribus suis, conturbetur et loquatur, ubi animi præsentia et taciturnitate opus est. Quidquid prudenter vel imprudenter geritur, causas proxime in agente, nimis in ejus præstantiis vel imbecillitatibus habet.

## 2.)

*Experientia ejusque vicaria, historia.*

§. 185. Quoniam futurorum contingentium nulla esse potest scientia, facile intelligitur, experientiam sive propriam sive alienam esse omnis prudentiæ matrem et magistram, et ab hac maxime hanc laudem petendam esse. Quæ ratio est, cur longiori rerum et hominum usu, adeoque vita opus sit, ut prudentia nascatur, et cur senum maxime prudentia existimetur, historiaque experientiæ locum tenere, aut certe breviorem viam ad prudentiam efficere possit.

Sed

Sed ut historia experientiae vicaria et prudentiae magistra sit, ita discenda est, ut non tantum, quid et in quibus adjunctis factum sit, teneamus, verum etiam quibus causis, artibus aut vitiis acciderit, quidque fecerit, ut optima consilia infastos, stulta vero aut prava optimos eventus habuerint, perspiciamus.

3.)

*Sapientia seu probitas animi.*

§. 186. Sapientia, probitas, virtus in finium hominis necessariorum, adeoque legum et officiorum moralium cognitione et observantia posita est. Prudentia vero denotat solertiam personas et circumstantias consiliis et votis suis accommodate tractandi et moderandi; quare sapientia et prudentia non necessario conjunctae sunt; probus prudentia et prudens virtute destitutus esse potest. Ratio quidem utramque postulat, sed tantum virtutem simpliciter imperat; at ut vera sit prudentia, cum virtute conjuncta esse debet; quæ a virtute destituta aut aliena est prudentia, aut pravis consiliis, aut inhonestis artibus utitur, adeoque stultitia reapse est, quia essentialia bona negligit, aut fortuitis postponit.

III.)

*Prudentiae partes seu munera.*

§. 187. Prudentia duabus partibus et quasi muneribus cernitur, nimirum providentia primo, et deinde robore animi provide et tempestive etiam magna et gravia moliendi.

1.)

*Providence.*

§. 188. Providus *primum*, quæ sit ratio universæ tenenda, i. e. qui finēs, quo ordine, et quibus viis et artibus prosequendi constituit, *deinde* in quavis peculiari vitæ causa considerationem, meditationem et circumspectionem adhibet, i. e. perpendit rei momentum et medium vim, adhibet in perpendendis singulis finibus et mediis debitam moram, *denique* percogitat, an et quantum personis et circumstantijs confendum sit.

2.)

*Robur animi difficultia moliendi.*

§. 189. Hoc animi robur positum est in ejus firmitate et promptitudine etiam talia moliendi, quæ sunt cum difficultatibus et periculis conjuncta. Requirit hoc decus animi præstantiam, constantiam et fortitudinem; *primam* ne conturbetur, si quid præter opinionem et spem ceciderit, *secundam* ne per minutas dubietates et supervacaneas deliberationes ab inceptis et opportunitatibus prosequendis desistat, *tertiam* ne ab iis propter novas difficultates et pericula deterreatur.

III.)

*De præcipuis prudentiæ relationibus.*

§. 190. Jam quæ sit prudentiæ ad virtutem et ad felicitatem eorum, qui virtuti dediti sunt, relatio seu vis inquirendum est.

1.)

*Relatio prudentiae ad virtutem.*

§. 191. *In primis* virtutem et prudentiam causis suis non ita conjunctas esse, ut altera sine altera locum habere nequeat, facile intelligitur; quare si virtuti prudentia desit, quæ cognitiones et habitus a virtute diversos requirit, virtutis vero expers aut plane vitiis obnoxius tamen a prudentiae præfidiis instructus sit, mirum videri non poterit, si alter consiliis et votis suis facile excidat, alteri omnia prospere succedant; *deinde* non minus etiam facile perspicitur, virtutem atque prudentiam consiliis suis non ita disjunctas esse, ut altera cum altera plane consistere nequeat. Cur enim virtutis cultores in quacunque re, cuius aliqua vis esse potest ad salutem hujus vitæ i. e. ad prosperitatem, non omnia rei agendæ momenta et adjuncta etiam atque etiam considerent atque perpendant, quæ votorum a ratione approbatorum successum vel impedire, vel juvare possint, et quæ impedimentis opponenda, quæ opportunitatibus adjungenda sint, ne exoptati eventus intercipiantur. At vero quid etiam obstat, quo minus prudens officia virtutis cognita habeat iisque irrestrictum voluntatis obsequium præstet? Et cum prudentia finibus exsequendis profit, ad quos consequendos per virtutis officia obligamur, facile intelligitur, a ratione et virtute etiam prudentiam imperari, neque tamen defectum prudentiae simpliciter accusari posse, cum hæc cognitiones et habitus requirat, quarum adeptionem ratio non simpliciter præcipit. Ex his oppido illucet eorum error, qui negant esse aliquam prudentiæ in virtute vim, aut il-

Jam huic plane inimicam esse contendunt; quamquam enim virtus et prudentia differant, ratio tamen universe utramque et quidem virtutem tamquam finem simpliciter, prudentiam vero tamquam medium tantum secundum quid imperat.

## 2.)

*Relatio prudentiae ad felicitatem proborum.*

§. 192. Ex prudentiae ad virtutem relatione facile intelligitur, querellas nonnullorum, quod cursus rerum magis improbis, quam virtuti deditis profit non modo temere sed plane impie proferri, cum sanctitati Dei tamquam mundi auctoris, et virtuti, quae sola in regno morali et in civitate Dei felicitate digna est, adversae sint. Vitia per se et sine prudentiae praefidiis prosperitatem nec procurare, nec tueri possunt. Proborum consilia etiam absque singulari prudentia magis salutares eventus haberent, quam improborum, si istis improbi non opitularentur, istis vero adversarentur. Ordinis et cursus naturae ea est ratio, ut ceteris paribus magis proborum quam improborum votis suffragetur. Totum illud fortunae discriminem, quod querimoniæ causa est, a prudentiae illius prosperitatis effectricis aut certe adjunctricis usu vel neglectu dependet. Sed naturae ordini et rationis decretis non secus consentaneum est, ut prudentes plus proficiant quam imprudentes, atque ut illi his in persecuzione commodorum vitae superiores sint, quam ut suavissima illa recti conscientia et vitae futuræ cogitatio, sine qua nulla vera felicitas esse potest, indivisa virtutis comes sit.

# HISTORIA ET SCRIPTORES PHILOSOPHIAE PRACTICAE UNIVERSALIS.

## §. 1.

Christianus Wolsius, primus ideam suscepit, atque consilium init *peculiaris Philosophiae moralis partis condendae*, quam pro Philosophia prima totius doctrinæ morum seu Ethicæ, adeoque pro Metaphysica moralitatis et felicitatis habuit, hocque ambitu sub titulo *Philosophiae practicæ universalis* pertractavit.

Christ. Wolfi, *Philosophia practica universalis*. 2 Tomi. Hallæ 1738—39. 4.

Du Hammel, *Philosophia vetus et nova*. Tomus secundus. *Philosophia moralis*. Venetiis 1736. 8.

Edm. Purchotii *Institutiones philosophicæ*, Tom. 4tus. *Ethica seu disciplina morum*. Venetiis 1751. 8.

## §. 2.

Wolfi vestigiis insipiententes philosophiam practicam universalem tamquam peculiarem scientiam continuo excoluerunt, sed ita, ut quidam ejus ambitum a Wolfio definitum constringerent, alii diduxerent. A. G. Baumgarten et G. F. Meier aliique Wolfiani eam redagerunt intra terminos *Ontologia moralis*, quæ conceptus cardinales et principia ima omnis cognitionis moralis traderet, alii uti Crusius, Hutchesonius, et postea Ulrich et Feder c. m. a. *Thelema-tonomiam Eleuthero-Baum.*

miæ adjecerunt et præmiserunt. Sed Thelema-tologia proprie est pars altera Psychologiæ em-piricæ specialis; potest quidem utiliter Philo-sophiæ practicæ primæ tamquam propædeutica præmitti, ast pro ejus nativa parte haberi nequit.

\*

Alex. Göttl. Baumgarten, Initia Philo-sophiæ practicæ primæ. Hallæ 1760. 8.

Georg Friedr. Meier, Allgemeine prack-tische Weltweisheit. Hallæ 1764. 8.

Laurent. Soardi Utinensis in Patavino Gymnasio Philosophi P. Institutiones naturales ad honestatem. Viennæ 1779. 8.

\* \*

J. J. Burlamaqui, Juris naturalis (Philo-sophiæ moralis) elementa. Genevæ 1754. 8.

Fundamenta jurisprudentiæ naturalis (Phi-losophiæ moralis) a Fried. Guil. Pestel delineata. Lugduni Batav. 1773. Edit. 4. 1788. 8. Gallice redditæ Ultrajecti 1774. 8.

Joh. August. Heinr. Ulrichs Anleitung zu den philosophischen Wissenschaften, 2ter Theil. Naturlehre und allgemeine praktische Philo-sophie. Jena 1776. 8.

Elementa Philosophiæ practicæ primæ, scripsit Nicol. Steinacher. Wirceburgi 1777. 8.

Untersuchungen über den menschlichen Wil- len etc. Von Joh. Georg Hein. Feder. 4 Thile 8. Göttingen u. Lemgo 1779. 1782. 1786. 1793.

Ernst Plattners, philosophische Aphormis-men. 2ter Theil Leipzig 1782. Ganz neue Ausarbeitung 1800. 8.

§. 3.

Philosophia practica prima vero, ut sit ba-sis et propædeutica Philosophiæ moralis cum

pu-

puræ (Ethicæ et Juris rationis), tum mixta (Political et Pædagogicæ), non tantum Eleutheronomia, sed etiam Eudæmonologia constare debet, cum moralitatis et felicitatis moralis scientia velut cardinibus omne morale regimen voluntatis verti debeat. Kantius ejusque sequaces criticam rationis practicæ pro propædentica totius Philosophiæ moralis habet, qua sub titulo Metaphysices morum doctrina juris et doctrina virtutis coercuit, utrique vero prælusuſit per foundationem Metaphysicæ morum. Retinuit tamen appellationem Philosophiæ practicæ universalis, sub quo titulo in prolegomenis Metaphysicæ morum, i. e. juris et virtutis quædam ejus præcognita tradit.

Im. Kant, *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten*. Riga 1785. 8. Latine redditæ a Joa. Christ. Zwanziger. Lipsiæ 1796. 8. Im. Kants *Grundlegung zur Metaphysik* in einer fasslichen Sprache dargestellt, und ihrem Hauptinhalte nach geprüft von Heinrich Kunhardt. Lübeck und Leipzig 8. 1800.

Im. Kant, *Critik der praktischen Vernunft*. Riga 1788. 8. G. U. Braßbergers, Untersuchung über Kants Critik der practischen Vernunft. Tübingen 1792. 8, K. H. Heydenreichs, Propädeutik der Moralphilosophie nach Grundsätzen der reinen Vernunft. 3 Theile. Leipzig 1794. 8. *Criticæ rationis practicæ ceu partis primæ Philosophiæ practicæ compendium*. Scripsit Andreas Metz. Wirceburgi 1800, 8.

Vergleichung des Kantischen Moralprincips mit den Leibnitzisch-Wolfischen, von Johann Christoph Schwab. Berlin und Stettin. 1800. 8. *Disquisitiones philosophiæ Kantianæ Libri duo*.

Elu-

Elucubratus est Jac. Ant. Zallinger ad Turrim,  
Liber 2dus. Discutitur sic dicta fundatio Metaphysicæ morum. Aug. Vind. 1799. 8.

Allgemeine praktische Philosophie von C. D. Bardili. Stuttgard 1795. 8. Ideen einer gemeinschaftlichen und gemeingiltigen Metaphysik der Sitten, von C. G. Fürstenau. Rinteln 1798. 8. Neue Grundlegung zur Philosophie der Sitten, mit beständiger Rücksicht auf die Kantische, von G. Wilh. Block. Braunschweig 1802. 8.

§. 4.

Recentiores Ethicæ christianæ interpretes doctrinas ad philosophiam practicam primam spectantes sub titulo *ethicæ generalis* pertractant, atque ita limites et articulationem suæ scientiæ pervertunt. Quod si Ethicæ christianæ Magistris supponere non licet, eos qui ad hanc descendam confluunt, fatis a Philosophia maxime a Psychologia empirica, Theologia naturali, et Philosophia morali instructos esse, non alienas partes Ethicæ suæ inserere, ejusque unitatem perdere, sed potius succinctam Psychologiam, Cosmoteologiam et Philosophiam practicam suis tamquam Propædeuticam tradere debent.

Sebastian Mutschelle's Moraltheologie. Erster Theil. Allgemeine Moral. München 1801. Zweyter Theil. Besondere Moral. Ibid. 1803. 8.

P. Maur. Schenkl. Ethica christiana. Tom. primus. Introductionem et Theologiam practicam universalem continens. Ingolstadtii 1800. Tomus 2dus Ibid. 1803. 8.

Joseph Geishüttner, theologische Moral in einer wissenschaftlichen Darstellung. 3 Theile Linz 1802. 8.

